







[illegible]

NICOLAI LEONICI THOMAEI DIALOGI.



Quorum nomina sequens indicat pagella.

*

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.



LVGDVNI APVD SEB. GRYPHIVM,
1542.

NICOLAI LEONICI THO-MAEI DIALOGI.

TROPHONIVS, siue, De Diuinatione.

BEMBVS, siue, De Animorum Immortalitate.

ALVEROTVS, siue, De Tribus Animorum Vehiculis.

PERIPATETICVS, siue, De Nominum Inuentione.

SANNVTVS, siue, De Compescendo Luctu.

SEVERINVS, siue, De Relatiuorum Natura.

SADOLETVS, siue, De Precibus.

PHOEBVS, siue, De Aetatum Moribus.

BONOMINVS, siue, De Alica.

SANNVTVS, siue, De Ludo Talario.

BEMBVS, siue, De Animorum essentia.

NICOLAVS LEONICVS RAYNOLDO POLO S. D.



V M abhinc aliquot annos uarijs de rebus, sed quæ præcipue ad philosophiam spectarent, sermones quosdam Academicorum more confecissem: quorum aliqui in lucem ita prodierunt, ut in amicorum quorundam manibus solum uersentur: nonnulli uero adhuc in archetypis iaceant, ab eisdem sanè sum rogatus ut omnes illos examinatos retractatosq; aliquãdo sub unius commentarioli uolumine, quasi in corpus unum comprehendere & edere uellem: quod quominus adhuc effectum sit, multa sanè mihi impedimento fuere. Verum quando tu eruditißime Pole superioribus diebus hac de re non uulgariter mecum egisti, hortatusq́; es, ut editionem hanc amplius non differrem, & posteritati, quo modo possem, meæ interesse uellem: quanquàm negotijs pluribus in præsentia distinerer, parui tamen libens, & hos ipsos, qualescunque sunt, edere, tibiq; dedicare decreui, ut tuo patrocinio adiuti, apud cæteros commendationem habere mereantur: quodq; per se fortasse, etsi non contemnendũ omnino, exile certe fuisset munusculum, id autoritate tua cui datum est, aliquid sanè esse uideatur. Talis est enim de tua singulari eruditione, exactoq; in omnibus iudicio, apud omnes, & tam certa existimatio, ut quicquid te adire audeat, aut abs te exire, excultũ sanè et omnibus numeris absolutũ esse, omnes opinentur & credant. Neq; id immerito mehercule: quotus enim quisq; in re literaria nunc reperitur, qui in tã paucis, quot ætas ista

tua recipit, annis, omnium liberalium studiorum sacraria sit ingressus: qui Græce & Latine æque sapiat: et utriusq; linguæ cum dignitatem & elegantiam, tum dicendi etiam proprietates & modos perpulchre adeo sit consecutus, ut siue docere quippiam siue literis mandare tibi libuerit, id luculēter mehercule & insigniter facere poßis? Taceo de philosophiæ studijs: ad quæ sola te natum, propter admirabilem in illis excellētiam, facile credi posset: nisi in alijs etiam facultatibus id ipsum egregie præstares: ut res profecto nostro seculo omni admiratione digna merito existimari poßit, esse iuuenem qui paulò antè ex ephebis exierit, cuius adhuc impubes sunt genæ, qui Platonis Aristotelisq; opera omnia lectitauerit: & cum Academicorum omnium, tum Peripateticorum commentarios abstrusarum copia rerum undequaq; refertos, perlegerit, intellexerit, & ad manum etiam paratos habeat. Verum nescio quomodo aliud exordiēs facere institui, aliud nunc ago. Quā ob rem de ijs hactenus, cū præsertim non laudator in præsentia, sed donator accesserim. Libenti igitur animo Pole humanißime hoc, quod tibi trado, munusculū accipias: cui si in omnis antiquitatis refertißima tua bibliotheca aliquē uolueris esse locū, magni sanè autori muneris instar erit. Hilarè enim ab eruditißimo uiro admitti, & benigne recipi, aliquoq; in numero haberi, etsi non maxima, non contemnenda certe laus, cui id acciderit, merito esse censetur. Vale. Patauij Pridie Calendas Sextiles. M. D. XXIIII.

Nicolai

NICOLAI LEONICI THOMAEI DIALOGI.

TROPHONIVS, SIVE, DE DIVINATIONE.



VM in Diui Zenonis uiculo, qui non longe ab Asyli distat oppido, apud hospitem quendam nostrum essemus ego & Fuscus frater, quo animi gratia æstate media maximis caloribus Patauio concesseramus, uenit forte ad eum locum, ut interdum solebat, Alexander Capella, uir & nostri semper amantißimus, & iisdem literarum studijs deditus, & in primis hospiti nostro à pueris quàm maxime familiaris. Hic cum nos pro uillæ foribus, ubi frigus fortè captantes consederamus, offendisset, post mutuos (ut fieri solet) complexus (satis enim longo interuallo, neque ille nos, neque nos illum uideramus) & post communia illa, ut ualeret ipse, ut amici omnes, ecquid noui Venetijs esset, Si quis mihi Deus, inquit, dixisset cum domo exibam, hic me uos ambos conuenturum, haud facile illi fidem adhibuissem. Sed te præsertim, ad me respiciens, quomodo enim tu hic? qui neque è cubiculo ipso temere exire, integrosq; dies lectitando componere sæpius solitus sis, ut tibi hortuli tui limites, si quando ad illos feriatus accesseris, legitimæ peregrinationis instar censeri poßint. Quam ob rem

quid sibi uelit hæc tam lōga insolensq; peregrinatio haud quaquam nunc coniectari ualeo, nisi forte Fuscus in causa est. Tum ego, Iocaris inquam Capella et me cauillo impetis: an nescis me & ijs relaxationibus quàm maxime semper delectatum fuisse, & aliquando non contemnendas etiam peregrinationes animi causa sponte suscepisse? neq; enim literarum studijs isthæc officere solent otia, & alioqui si talis essem, qualem tu me esse dicis, liberius etiam exirem: cum musæ ipsæ, spretis urbium mœnibus, in agris & montibus libenter degere, & aßidue uagari dicantur. Cæterum tu, qui me otij literarij tam acriter insimulas, quid tecum libellos circumfers (forte enim ut ab equo descenderat, theculam quandam cum libello manu gestabat) an tu etiam in uia, nedum domi & in cubiculo, ut ego, lectitare soles? Tum ille ridens, Insigniter, inquit, & cito te ultus es Leonice: neque, quod aiunt, posteris de te tuis ultionem reliquisti. uerum codex iste quem teneo, Aristophanis sunt comœdiæ: quo ego poëta, cum ob linguæ elegantiam & proprietatem, tum propter conspersos undique sales Atticos et lepôres, mirifice delectari soleo: ut siquando mihi à seuerioribus musis relaxandus sit animus, non crebro alium quempiam præ illo autorem in manibus capiam: adeo me iocis suis demulcet ille, & lepôre, uerborumq; urbanitate largiter exhilarat: unde si quò exire decerno (quod non persæpe facio) comes mihi non iniucundus præsto semper est Aristophanes. Tū Fuscus, Nimirū, inquit, si elegās est, et pulchre sapit noster Capella, quando sales semper Atticos secum portat, quibus & uerba & sententiæ suauiter condiantur. & ad me conuersus, Næ sumus, inquit, infaceti nos & illepidi, qui hunc de uia feßum hic tenemus, & sermonibus nostris intempestiue nunc obtund

obtundimus. Hortati igitur illum sumus (non enim hospes aderat noster) ut ingrederetur, et se curaret, quiesceret'ue: meridies enim erat, & flagrãtissimo sole ardebat dies. Et ille, Minime, inquit, mihi opus est requiete, neq; aliud quippiam in præsentia mihi præstari uolo: nam neq; ita defessus sum, ut langueam: & bene pransus alioqui huc accessi. Meus enim Asylanus hospes, apud quem, Venetijs ueniẽs, proxima nocte diuerti, non nisi me pulchre curatum discedere permisit: quare non est quod uos in præsentia dimittam, quos semper & uidere & audire percupio: & nunc quòd hic offenderim, magni mihi hoc muneris loco adscribi non abnuerim. Introëamus autem, quando sic uobis placere uideo: nam & sub tecto melius manebimus, & ego communẽ hospitem nostrum, si domi est, uidere et amplexari potero. Sed aderat iam ille festinabundus & hilaris: nanq; de quopiam uernularum (ut arbitror) illius aduentum cognouerat: qui hominẽ arctissime cõplexus, O quàm optatus, inquit, mi Capella, & quàm tempestiue hodie nobis aduenisti, qui solus huic numero deficere uidebaris: profecto bene mecũ et feliciter actũ reputo, quãdo tria mihi hic charissima pignora adesse conspicio, quo nihil mihi gratius sanè euenire potuisset. Sed quid hic agimus ante fores, & non ingredimur potius? & cum dicto ire perrexit. Ingressi igitur simul omnes sumus, et in cõclaue quoddam ascẽdimus, quod ad septẽtriones spectans, patentibus fenestris iucundissimos ex proximis montibus excipiebat afflatus, adeo ut intensissimus meridici calor ipsa cœli regione, & algenti insuper aura, salubriter permulceretur. Hic considentibus nobis lociq; commoditatem, simul & prospectus amœnitatem laudibus miris extollentibus, Capella, Quãdo nihil aliud, inquit, in præsentia agimus, &

ut uidetur ociosi sumus, neq; quopiam adhuc per æstum exire nobis permittitur, Aristophanes iste me admonet, ut quod nudiusquartus, dum secũ loquerer, non planè de illo intelligere poteram, quia obscure nimis & breuiter loquebatur, à uobis ipsis percontari uelim: quamobrem rogo uos & te in primis Fusce (tua est enim isthæc prouincia) nisi tibi molestum est, ut inter nos interpretis uice fungaris. Hic etenim ut scis, non nisi Græce loquitur: & ego nouitius Græciæ sum inquilinus. Tu uero cum utranq; linguam æque calleas, et quæ iste Græce dicit planè percipies, & mihi idipsum Latino sermone commode explicare poteris. Et quid est hoc, inquit Fuscus, quod Capellã lateat? aut quod ego poßim, tu ipse per te nõ poßis? nisi forte ænigmata sint, & gryphi, tuq; me Oedipodem esse nouum arbitraris. Cæterũ quoniam uacui sumus, planeq; ociamur, locum mihi hunc in quo hæsitasti cõmostrato: nã si potero, illũ tibi complanabo: sin minus id efficere ualuero, tecum in eodẽ (ut aiunt) luto hærebo: adest etiã frater, cui si opus fuerit, operæ istius partem delegabimus. Non sunt ænigmata, neq; gryphi, inquit ille, quæ mihi explicari nunc postulo: sed locus quidam ex historia, quam cum maxime semper optarim cognoscere, nusquã tamẽ illa plenè me legisse memini: quãobrem nũc certe mihi hac in re accidit, quod haud facile in alijs usu euenire solet. Nam si me locum hunc ignorare in præsentia dixero, planè mentiar: habeo enim quæ hac de re apte congruenterq; dici poßint. Et si rursum me scire contendero, haud uere sanè profitebor: neq; enim rẽ uniuersam, ut est, pulchre tenere me arbitror: & multa sunt, quæ diligens alioqui & exactus rerum perscrutator haud ab re ambigere hic poßit: unde euenit, ut cæteris quidem, si qui de me hoc fuerint

percontati

percontati, nullo negotio satisfacere ualeam: cũ ea dicam, quæ hic à grammaticis afferri diciq; solent: mihi autem ipsi minime satisfaciam: nuda enim quædã hoc in loco, & frigida ab illis proferuntur, qui quidẽ (ut mea fert opinio) nescio quomodo elegantiorẽ, plenioremq; desiderare uidetur interpretationẽ. Locus autẽ est (ne uos diutius animi suspensos habeam) ex Aristophane in Nebulis, ubi senex ille, qui se Socrati docendũ tradiderat, dum illius scholam ingreditur, se subuereri & tremere dicit, ceu si ad Trophonium descenderet: & mellitam placentam, quam secũ portet, Socratẽ efflagitat: de Trophonio enim & Agamede, qui Apollinis Delphici templum construxerunt, apud Pindarũ est uidere, ut Cheronæus Plutarchus in consolatorio ad Apollonium libello memoriæ prodidit, quemadmodũ cum mercedẽ pro opera Deũ expostulassent, quasi magni quippiam sibi deberi existimãtes, & ille in septimum se diẽ eis præmium liberaliter repræsentaturũ pollicitus fuisset: addidissetq; insuper, ut bono animo essent, & genio interim operã darent: posteaquàm ad constitutum peruentũ est diem, noctu ambo mortui sunt reperti. Trophonij præterea oraculum in Lebadia Bœotiæ scio fuisse percelebre, solitumq; illic Heroẽm se cõsulentibus futura prædicere, apud plerosq; legitur. Cæterũ responsis'ne, an somnijs darentur oracula: & cur nam adeò extimescerẽt homines ad sacrum illius accedentes adytum, ut ille significare uidetur senex, apud neminem (quod meminerim) usquam plenè legi. Quare si quippiam ex antiquorum thesauris reconditum seruas, quod ad eiusmodi enodandam rem facere credas, ne graueris oro te id in medium afferre. Rem enim mihi gratißimam feceris, si me hac animi perplexitate liberaueris. Tũ Fuscus, Haud magna,

Trophonius. Agamedes.

Trophonij oraculum.

inquit, & nimis recondita scire expetis Capella, sed quæ parata satis, & ad manum habemus. Quamobrem haud magna cum re tibi mos geretur. Cæterum, quoniam multa sunt, quæ hoc in loco grammatici adducere, & ueluti comminisci licenter solent, de subterraneo scilicet herois specu, ubi ille (ut aiunt) inedia consumptus est: de draconibus quinetiam ibidem commorantibus, qui placentis & huiusmodi dulciarijs placarentur escis: istiusmodi ego omnia, & quia tibi pulchre esse cognita non dubito, & quia (ut rectißimè indicasti) inania sunt, & frigida, desipientium deliramẽtis anicularũ, fabellisq; haudquaquam dißimilia, consulto præterire decreui: nõ enim adeo uacamus, ut nobis nugæ ex nugis temere sint consuendæ, præsertim cum hac de re habeamus, quæ in præsentia luculenter sanè, & cõmodè dicere poßimus: ex quibus cum uniuersa perspicuè reserabitur historia, tum oraculorum ratio captandorũ percõmode dignosci explicariq; poterit. Quamobrem his obmißis, si placet, totam hanc rem ordine recensebo: nisi fortè tibi & Leonico aliter uidetur. Hic cum ego non solum aßentiri, sed magnopere etiam id ipsum percupere significaßem, & Capella enixius hanc rẽ efflagitaßet, sic exorsus est Fuscus. Pausanias, quẽ ego, inquit, autorem, cum propter rerum seriem uariarum, & styli elegantiam, tum propter reconditam & omnimodam totius Græciæ antiquitatis historiam, cum primarijs historiarum scriptoribus facile cõnumerauerim, in sua Græciæ peregrinatione, ubi de Orchomeno et Lebadia Bœotiæ recenset oppidis, Trophonij meminit & Agamedis, quos Ergiui Orchomenij, qui tertius à Phryxo Athamantis fuit, filios fuiße cõmemorat: licet nonnullos aßeueraße dicat, Trophonium Apollinis, nõ Ergiui filium fuiße,

Pausanias.

cui se

cui se sententiæ magis astipulari, cum ob alia multa, tum nihilo secius ob oraculorũ ipsius indubitatam asserit fidẽ: quæ ipse non de alijs, quod pleriq; solent, inaudierit: sed illius aliquãdo adytum ingressus præsens perceperit, & expertus fuerit. Hos igitur, postquàm adoleuissent, magni nominis architectos fuisse dicit, & regiarum ædificijs, templorumq́; miris extructionibus tota Græcia percelebres habitos: horumq́; opera & alia fuisse permulta, & in primis Apollinis Delphici templum, & Hyriei thesauri ærarium: in cuius fabrica hac illos ratione usos fuisse memoriæ proditum est, ut lapidẽ scilicet quendam extrinsecus tali coaugmentarent structura, ut quando illis collibuisset, nullo illum negotio extrahere, & intra ærarium inde peruadere possent: qui tamẽ eleganter adeò, & affabre cæteris id genus lapidibus cõtinenter iunctus uisebatur, ut nullam fraudis suspitionem præ se ferret, & omnes facile inspectantes latere posset. Hinc igitur illi occlusum ingredientes ærarium, pro libidine quantum auri pecuniæq́; uoluissent facilè expilabant: quod cum sæpius factitarent, furtumq́; iam ipsum non clàm esset, cum furti tamen minime dignoscerentur autores: Hyrieum ferunt rei nouitate permotum, qui dudum thesauri claues sui frustra obseruauerat, aditusq́; nequicquam omnes diligenti custodia cõmuniuerat, tale quippiam machinatum fuisse: ferreos quosdam laqueos, & uinculorum latentes nexus uasis illis & fiscis, in quibus auri argentiq́; positæ asseruabantur massæ, super indidisse, qui se attrectantium facile uincirent manus, arctèq́; & indissolubiliter constringerent: ijs ita clàm dispositis, forte fortuna Agamedem ferũt haud multò pòst noctu ad consuetam ingressum prædam, in latẽtes laqueos incidisse, qui cum arctißime teneretur, neq;

Hyriei thesauri ærarium.

neq; inde ulla extrahi posset ui, Trophonium desperata omnino re, caput ei gladio à ceruicibus amputasse ferunt, ne quando deprehensus ille aut cognitus rem ut erat palàm faceret, eiusq; facinoris conscios indicio suo manifestaret. Accidit autem, ut non multò pòst Trophonius etiã ipse terræ absorberetur hiatu, eo loci, ubi nõ procul à Lebadia in sacro illius luco Agamedis cognomine profunda uisebatur fouea, iuxta quam columna etiam quædã astabat. Hæc de illorum genere, mortisq; modo (ut percurrimus) autor hic aliter quàm apud Pindarũ Plutarchumq́; legatur, memoriæ prodidit. Cæterũ quæ de oraculo Trophonij uir ille commemorat, quibus'ue expiarentur sacris homines, qui ad illum responsa petituri accederẽt, huiusmodi ferè sunt. Cum quispiam ad Trophonium descendere concupisset, in primis statos quosdam dies, non procul ab oraculi loco, in quadam degebat ædicula, quæ bono dæmoni, bonæq́; fortunæ sacra esse perhibebatur, ubi & alijs nonnullis, & calidarum maxime lauacro aquarum abstinere iubebatur, quem illi usum, si quando opus esset, Ercyna fluuius, haud procul inde defluens, affatim præbere poterat. Vescebatur autem carnibus ijs quæ ex immolatis uictimarũ corporibus copiose illi quotidie suggerebantur: singulis enim litabat diebus, is qui Trophonium cõsulturus accesserat: in primis Trophonio, eiusq́; liberis: Apolliniq; postea & Saturno, Iouiq; cognomento regi: Iunoni quinctiam et Cereri, quam cognomine Europam uocabant, eamq́; Trophonij fuisse nutricẽ ferebant: sacris autem singulis, cum immolabatur, assistebat aruspex, qui extispicio sedulam præstabat operã, ex ijsq́; Trophonij mentẽ rimabatur, inspiciebatq́; utrum'ne propitius & uolens, an secus se petentẽ suscepturus esset heros. Cæterum

Oraculũ Trophonij.

Ercyna flu.

aliæ quidẽ quæ immolabantur hostiæ ad Trophonij perscrutandam sentẽtiam, mentemq́; excutiendam, nõ magnã adeo uim habere censebantur, ut aries, qui eadem nocte, qua quis ad illum stato dierũ numero descẽdere debebat, extremus in scrobe immolari erat solitus, ubi rem diuinã facientes Agamedem magna uoce inclamare moris erat. Si enim aliarũ quidem hostiarum læta salutariaq́; præcessissent exta, Arietis autem dira & tristia subsequuta fuissent, minime litatum esse censebant, neq; hominẽ ad Trophonium descendere permittebãt: quòd si arietis exta cũ prioribus bene cõuenißent, lætaq́; & felicia portẽdissent euenta, ueluti propitio et uolente hoc ageretur Dæmone, alacres bona cũ spe ad illum descẽdere iubebantur. Prius autẽ quàm descenderet quispiã, noctu ad Ercynæ fluenta, ij quibus id negotij demandatum erat, hominem deducebant, oleoq́; perũgebãt: posthac pueri duo tertiumdenûm circiter annorum, ex proxima ciuitate, ingenui & nobiles, quos Hermas uocabãt, in eodẽ fluuio illum lauabant, & omnia illi quæ Trophonium adituro ex usu erant, officioso præstabant obsequio. Exin sacerdotibus qui id muneris habebant, tradebatur: qui illum non illico ad oraculum, sed ad geminos prius iuxta se inuicem scaturientes fonticulos deducebant, quorum obliuionis quidem unus, alter uerò memoriæ dicebatur. Et prius ex obliuionis fonte haustam iubebatur ebibere aquam, ut omnium scilicet obliuisceretur illorum, quæ antea percepisset aut cogitasset. Postea uerò ex memoriæ etiam fonte latices hauriebat, ut quæ uel uisurus esset posthac apud Trophonium, uel auditurus, memoriæ firmiter commendaret. Exinde Trophonij simulachrum quoddam, antiqui sanè operis, & à Dædalo (ut aiunt) fabrefactum, inspiciebat, uenera

Fons obliuionis, & memoriæ.

uenerabaturq́; cernuus, quod à ſacerdotibus nemini unquam, niſi ijs qui Trophonium adituri eſſent, oſtendi fas habebatur: ijs rite peractis, hominem chlamyde indutum linea, faſcijsq́; ſubcinctum, & crepidis quibuſdam patrio generis ritu calciatum, ad oraculum deducebāt. Erat autem oraculum paulò ſupra lucum in monte ſitum, crepido uerò quædam ex albo lapide locum undequaque cingebat, qui mediocris areæ ſpatium æquare uidebatur. Crepidinis autem altitudo duorum circiter erat cubitorum, & ex interuallo æneis uerubus illius diſterminabantur ſpatia, quos zonæ continebant quædam, in quibus extructæ hincinde cernebantur portæ: in ſepti autem medio terræ hiatus erat, non fortuiti ſpeciem præ ſe ferens abſceſſus, ſed ſi quippiam aliud, arte ingenioq́; mire constructum opus, qui fornicati cuiuſdam tecti imaginem referre uidebatur: cuius, ut coniectari licebat, diſterminans linea, quam Diametrum appellant, quaternos non excedebat cubitos: ſtructuræ autem ipſius altitudo à ſummo ad imum, haud multo octonûm menſuram excedere cubitorum iudicari poterat. Deſcenſus uerò inferne nullus erat arte constructus: ſeu cum quiſpiam Trophonium adire cupiebat, manuales apportabantur ſcalæ, quæ & bene tractabiles, & uſu ipſo agiles erant. Poſtea uerò quàm erat deſcenſum, in ipſo loci pauimēto medio foramen cernebatur quoddam, quod latitudinem habebat duorum dodrantum: altitudinis uerò dodrantalis ſpeciem præ ſe ferre uidebatur. Qui igitur deſcendebat mellitas ſecum deferens placentas, ſupra pauimentum ſeſe reſupinabat, ambosque in foramen illud inijciens pedes, omni conabatur ſtudio, ut genua etiam ſibi interius fierent. Exin haud temere talis ſeſe illi offerre ſolebat ſpecies, ueluti
ſi uniuer

, universum illius corpus conuulsionibus distraheretur, & si maximus rapidißimusq; amnis, à genibus exorsus, totum uorticibus hominem mergeret raperetq; suis. Postea uerò ex adyto illi clarißima futurorum dabantur oracula: uerum haudquaquam uniformia illa: neque eodem quisque præmonebatur docebaturq; modo: sed alius quidem cernere uisus erat, alius uerò audire, prout monenti libuerat Deo. Exibant autem inde, cum pedes ueluti sponte sua ex foramine exiluissent illo. Hoc enim certißimum reditus signum esse perhibebatur. Neminem uerò ex ijs, qui in sacrum Trophonij adytum descendissent, aliquando interijsse memoriæ proditum est, nisi unum duntaxat, Demetrij satellitem, qui neque debita numinis ueneratione ingressus fuerat, neque Trophonium (ut dicitur) consulturus, sed spreta loci religione, sacros expilaturus thesauros, accesserat: cuius etiam cadauer à sacro procul ingressu inuentum fuisse dicunt. Exeuntem autem à Trophonio sacerdotes ij, de quibus retro est dictum, manu ducentes illum, in exhedra quadam collocabant, quæ non longe ab ipso adyto humi iacebat, & memoriæ appellabatur sedes, ubi de ijs quæ uiderat aut inaudierat singulatim percontabantur omnia: inde ipsum cognatis tradebant & amicis, qui hominem in ædes illas boni dæmonis, bonæq; fortunæ, ubi statis prius manserat diebus, accipientes portabant, adhuc præ timore semianimum & stupidum, & neq; se tunc, neque alios planè dignoscentem. Postea uerò & in alijs nihilominus sapere quàm prius sapiebat, & risum qui ab eo defecisse uideri poterat, illi redire constabat. Necesse autem habebat is, qui à Trophonio redisset, quæ uiderat aut audiuerat omnia in tabella picta dæmoni posthac offerre. Hæc Pausanias de Traphonij

Sedes memoriæ.

phonij oraculo, qui non solum de multis isthæc audiisse ịudicit, sed Trophonium etiam consuluisse, & in sacrum eius adytum descendisse constanter affirmat. Cæterum ut nihil ad plenam huius rei cognitionem deficere uideatur, quando hoc loci peruenimus, quo etiam modo inuentum id fuerat oraculum, paucis, nisi molestum est, recensebo. Hic adhortantibus cunctis, & ut reliqua subtexeret insuper orantibus, sic prosecutus est Fuscus. Cum cœli intemperie aliquando uniuersa laboraret Bœotia, & duos iam annos, sitiens & squalida imbribus caruisset regio, delectos ex singulis ciuitatibus legatos Bœotij, quos θεωϱοῦς uocabant, ad Apollinis percontandum oraculum Delphos miserũt: quibus respondit Pythia, ut in Lebadiã irent, Trophoniumq́; hac super re consulerent: fore enim ut is heros siccitatis illius remedia eos doceret. Cum autem ij deo parentes in Lebadiam uenissent, & nusquàm locorum Trophonij oraculum cõperire possent, forte ex illis quidã, ex Acrephne missus oppido, Saon nomine, qui ætate existimationeq́; cæteros facilè anteibat, siue diuino mẽtis præsagio, seu auspicandi peritia, apum uolans conspicatus examen, illud insequi statuit, quod aliquantisper fecisse dicitur: residentibus autem posthac apibus eo loci, ubi oraculum postea fuit, specum ingressus, ibi repetum, remq́; diuinam in eo faciens, à Trophonio quæ concupiuerat percepisse dicitur. Hunc postea Saonem ferũt quæcunq; fieri solebãt ab ijs qui Trophonium adibant, sacra præterea ritusq́; omnes à Trophonio edoctum, posteris per manus tradidisse. Hæc sunt quæ de Trophonio dicere in præsentia habui: ex quibus perspicue licet cognoscere, mellitas illas placentas, non draconũ gratia à descendentibus afferri solitas fuisse, qui nulli erãt: sed fortasse ut illis

Trophonij oraculũ quo modo inuentum.

Saon.

uteren

uterentur, si quo casu suo ipsorum uitio, aut occulta quadam oraculi inhabilitate serius sibi responsa darentur. Nam de timore quid est quod tantopere admirari debeamus? Subterraneum enim specum soli subintrãtes, & ibi admiranda quædam uidere & audire expectantes, quid mirum fuerat, si expauescebant, & mirifice contremiscere uidebantur? Cæterum ne de draconibus omnia confinxisse grammaticos licenter appareat, hoc etiam ab eodem autore memoriæ proditum est, iuxta Ercynam fluuium speluncam quandam fuisse, in cuius medio duo cum sceptris, quibus inuoluti erant dracones, simulachra fuisse collocata: quæ, ut ait, aspectu quispiam primo cõtuitus Aesculapium Hygiamq; esse existimare potuisset: uerum Ercynæ & Trophonij imagines esse perhibebantur: quoniã nihilo magis Aesculapio, quàm Trophonio sacros aßignari angues antiquitus, uniuersi loci illius accolæ existimauerunt. Hæc Fuscus cum dixisset, finem loquendi fecit, oculisq; humi defixis, ceu quippiam quæreret, quod dictis addere uellet, aliquandiu perstitit. Tum Capella, Ita me Dij ament, inquit, Fusce ut nihil mihi hac re gratius, aut magis ex animi mei sententia fieri potuisset. Quamobrem & optimo tuo Pausania in primis afficior, cuius suauis & erudita sanè narratio aures ita demulsit meas, ut quòd tam cito tacuerit, non modice doleam: & tibi ingentes habeo gratias, qui hoc ipsum mihi, quod diu multumq; conquisiui, sedulò nunc & clare explicaueris. Sed quid tu, inquit Fuscus, faceres, si illum lingua patria uerba sua exprimentem audisses? nam quo spiritu, Dij boni, qua oris rotunditate & elegantia, qua figurarum styliq; ubertate & gratia omnia distincte ornateq; complectitur, & ueluti sub oculis ponit. Ego enim in præsentia fidi more interpretis,

Trophonij & Ercynæ imagines.

nihil addens aut resecans, sed uerbum de uerbo inuertens, tantummodo quæ ille dicit exprimere curaui. Nam Græce etiam poteram, si uoluissem, adeo omnia hac de re illius uerba menti mihi resident, & illa ad manum habeo, sed hospitis etiam nostri fuit habenda ratio: uerti igitur pro tempore ad uerbum illa, ut potui, in quo sanè interpretationis modo (ut probe nosti) quantum fidei astruitur, tantum demi solet gratiæ. Verum si quando in illius commentarios incidemus, quod sanè erit si quando ad nos Patauiũ concesseris, hæc quæ dixi, ut à me in præsentia enarrata fuere, de ipso clare percipere poteris. Memineris hoc Fusce, inquit Capella. Nam & si nihil aliud intercederet causæ, cur Patauium uenirẽ, quò non parum sæpe (ut scis) accedere soleo, uel hoc me unum impelleret, ut Pausaniam tuum, imò potius iam nostrum, inuisere & complecti mihi detur. Verum amabo te mi Fusce (quod in bonam accipias partem rogo) quid tu adeo sub narrationis tuæ calce oculis humi defixis, cogitabundoq; similis, & quippiam perquirenti aliquandiu perstitisti, ut non quod iam perorasses, ut feceras, sed quod mox de re ardua uerba facturus esses, speciem mihi præ te ferre uidereris? Quod hospes etiam noster (ut opinor) animaduertens, nutu idipsum, ni fallor, mihi significare uisus est: quasi alia quædam sedulò quæreres, quæ priori de integro sermoni subtexere cogitares. Effare igitur (nisi quid prohibet) quæ tunc animo uersabas: nanque amicorum qui dixit omnia esse communia, non de externis solummodo bonis, sed de internis etiam cogitationibus, serijs præsertim de rebus (ut opinor) intelligere uoluit: nisi forte eos tu inter se se amicos magis esse putas, qui eadem promiscuo usu domestica utuntur supellectili, aut ijsdem libris, quàm illos qui

cordis

cordis sibi inuicem penetralia reserant, intimosq; secre=torum adytus peruios habent, & omnia communi inter se consilio, & domi & foris concorditer peragunt: quo=rum (ut inquit ille) idem uelle, atque idem est nolle. Mul=tum abest, ut id reputem, inquit Fuscus: quare nulla est in=uidia mi Capella ea me dicere, quæ animo nuper uolue=bam, cum hac præsertim in re iacturam nullam, sed potius lucri quippiam facere poßim: ueruntamen, si placet, ista dicam conditione, si hanc uidelicet mihi huius diei com=munem operam condonare promittis, ut illa qua uelim in re maxime uti poßim: nam id ego uicißim uobis polliceor, & in me libere recipio, illam à uobis (si mihi obtempera=ueritis) satis bene & commode pro tempore collocandam fore. Hic cum assensi fuissemus omnes, & Capella etiam pro omnibus hac de re satis præstare se dixisset: Cogita=bam, inquit Fuscus, atque inter loquendum sanè animo uo=luebam, quæ nam illius oraculi uerißima adduci posset causa: quinimo ut unum plerunq; ex alio inquies animus, & ex illo rursum plura uariaq; parturire & elicere so=let, multa mihi sub idem tempus oraculorum genera in mentem ueniebant, quibus uarias fuisse causas, cum diuer=sa essent & uaria, multiformiq; darentur modo, non ab re existimabant. Non igitur mirandum est, si omnes uos hunc in me animi animaduertistis motum, qui intercisum forsitan & inconstantem narrandi modum in me animad=uertere potuistis: non enim cum aliud dicitur, & aliud quippiam cogitatur, commode utrunq;, aut alterũ etiam eleganter fieri potest. Hæc igitur fuit mea illa de qua quæ=ris cogitatio, & hinc totus pendebam animi, meditans, an ab una & eadem caussa tam uaria tamq; diuersa oraculo=rum effici potuissent genera: an, quod mihi uerum magis

esse uidebatur, à pluribus multiformibusq; ista causis prouenirent, ita ut unumquodq; pro locorum situumq; diuersitate peculiare suæ originis sortitum esset initium. Multa autem & penè innumera à se inuicē distincta & diuersa fuisse, non est quod ambigere debeamus. Nanq; ut de clarißimis toto terrarum orbe oraculis taceam, quorum ab omni antiquitate ad nos usque celebris perdurat fama: Delphico scilicet & Dodonæo: in quorum quidem altero Pythia, in sacris residens adytis, deo (ut aiunt) plena carminibus hexametris certißima fundebat oracula. In altero uero Peliades illæ, siue columbæ fuerint, seu Iouis antistites fœminæ, ex Dodonæa quercu futura hominibus canebant euenta: ut hæc, inquit, missa faciam, quæ nam ferè mundi regio, uel potius qui terrarum in toto orbe tam sepositus tunc reperiebatur angulus, qui non aliquo oraculorum genere uerißimam penes se futurorum prædictionem hominibus polliceretur? Neque ego hoc in loco ex oscinibus præpetibusq; auguria connumerare nunc intendo, aut extorum inspiciendorum peculiarem Aruspicinæ scientiam: uel quæ in procurandis fulguribus ostentisq; dignoscendis, & signis de cœlo seruandis superstitiosa obseruauit Etruria: quæ omnia cum ad diuinationem, futurorumq; prædictionem manifestißime pertinere uideantur, consulto tamē præterire decreui: longißima enim hæc esset narratio, & integrum sibi proculdubio exposceret diem. De oraculis tantum loquor, quæ uoce, sortibus, somnijsq;, aut certis rerum apparentijs fieri, dari'ue dicebantur. Hæc etenim ut diuersa inter se & penè dißidentia fuerant, sic etiam uarios efficientes habuisse causas, uero consentaneum esse uidetur: quòd si illa etiam quæ inter loquendum me commouerunt, & mentem ad sese traxere

Delphicum oraculum.
Dodonæum.

xere meam, nunc audire cupitis, quæ alioquin rara ſunt, & uulgo haud ſatis cognita, nulla eſt inuidia, quin ea uobis omnia in medium afferam, quæ ad futuram forſitan de ipſis inueſtigationem animorum noſtrorum latentes excitare poterunt igniculos, ut ad perſpicuam poſtea cauſarũ nunc latentium lucem mentiũ directa acie, clare illas perſpicere ualeamus. Dico'ne ea, an aliud quippiam in præſentia uobis agendum eſſe cenſetis? Quinimo dic, inquit Capella, ut pro iſtis etiam tibi reſpondeam, nam poſtea tuum erit iubere quid uolueris, nos uero promiſſis manebimus. Bene habet, inquit Fuſcus, quare audiatis. Multa mihi ſub idem ferè tempus oraculorum genera ſuccurrebãt, & in primis illud quod Patris Achaiæ de fonte Cereris Pauſanias memoriæ prodidit, cuius uerißima ferebantur reſponſa, cum non omnibus tamen de rebus illuc homines, ſed de ſolis ægrotantibus conſultum accederent. Sed fortaſſe non erit malum illius etiam uerba recenſere. Fons erat, inquit, in Deæ templo medio, ad quem per gradus deſcenſus dabatur. Hunc lapidea circundabat crepido, ſuper quã ſtantes ſpeculum quoddam tenui alligatum funiculo ſenſim demittebant, obſeruantes ne id fonte penitus mergeretur, ſed extremo tantum orbe ſummos cõtingeret latices. Exin Deæ ſupplicantes, thuraq; & cætera id genus altaribus adolentes, in ſpeculum deſpiciebant, quod ægroti illius imaginem, de quo Deam conſulturi illuc acceſſerãt, uel mortui, uel uiuentis ſpeciem præ ſe ferentem clarißime oſtentabat, uerusq; poſtea ſecundum uiſas imagines rerum ſequebatur euentus. Pharis præterea Achaiæ oppido idem refert autor, Mercurij in foro fuiſſe ſimulachrũ, qui eam ob rem Agoreus appellaretur, iuxta quod huiuſmodi fuiſſe perhibebatur oraculum: Ante illius pedes la-

De Cereris apud Patras fõte & oraculo.

Mercurij oraculum Pharis.

pidea aſtabat ara, atq; hincinde plumbo ad aram alligatæ æneæ uiſebantur lucernæ. Conſulturus igitur ueſpertino circiter accenſis luminibus ad Deum accedebat, thusq; in aræ illius medio de more comburens, aſtans ſimulachrum eius ſuffitu uenerabatur, lucernasq; poſtmodum illas inſtillato accendens oleo, in dei dextram manum numiſma quoddam, loci illius patrium, ex ære ponebat, inde ad ſimulachri aurem quodcunq; percontari uoluiſſet clàm inſuſurrabat, obturatisq; poſthac auribus à foro rectà diſcebat, & cum paulum fori limites feſtinus euaſiſſet, aures rurſum aperiebat occluſas, & quam primam fortuito audiſſet uocem, illam oraculi ueriq; ominis uice conſtanter obſeruabat. Sed quid de puteo etiam in Hyſia Bœotiæ ciuitate Apollini ſacro pluribus commemorem, ex quo aqua epota, Dei ſacerdotes ſe conſulentibus, ueriſsima dare dicebantur reſponſa? Aut de oraculo quod Argis in arce ad Apollinis templum fuiſſe fama eſt, ubi uiri neſcia mulier ſingulis menſibus agni ſanguine delibato furens & Deo plena futuros prædicabat euentus? In Burenſium præterea agro, in Achaia ſecundum mare Herculis fuiſſe fanum, idem eſt autor Pauſanias, in quo ex talis & abaco reſponſa conſulentibus, hoc maxime dabantur modo. Deo conſulturus primum ſupplicabat, inde precibus rite peractis, talos quatuor, qui ibi affatim repericbantur, ſuper menſam iactabat, talorumq; ſitus & figuras diligenter examinans, quid poſtmodum ex quibuſq; ſignaretur præmonſtrareturq; figuris, ex abaco illa literis mandatum continuo lectitabat. Verum quid ego externa commemoro, cum noſtratibus decenter uti poſsim? non'ne in agro Patauino Geryonis oraculum aliquando fuiſſe legimus, ubi in aquã iactis talis, certiſsima conſulentibus darentur reſponſa?

Apollinis putei oraculum.

Herculis fanũ.

Reſponſa ex talis & abaco.

Geryonis oraculum in agro Patauino.

Ex

Ex hac etiam (ut arbitror) præsagiorum nota iuxta urbē Romam Prænestinæ fuere sortes: & Aegeriæ lucus: Faunorumq́; & Carmentæ matris prædictiones: necnon decantatæ Lacedæmoniorum in Græcia somniãdi causa excubationes in Pasiphaæ fano, quod in agro iuxta urbem fuisse locupletißimus autor Cicero testatur. Nam ad Amphiarai fanum somnia tota ferè Asia celebrata, uerißimam futurorum prædictionem habuisse uniuersa credidit antiquitas. Quæ omnia oraculorum genera (ut aliquando ad id quod dictum est nostra recurrat oratio) si quidē ab unica & eadem singulari prouenisse dicantur caussa (ut plerosq; uoluisse physicos audio) cur nam tam uarie multipliciterq́; darentur, non contemnendam profecto quærentibus dubitationem afferre poterunt. Vnum enim ab uno, atq; id uno tantum modo fieri, non ab re dicunt physici. Si uero à pluribus, & ijsdem diuersis, quis nam hic tantus efficientium causarum, & tam uarius exercitus in medium probabiliter adduci poterit, si quidem omnes illæ hoc tantum unum siue uaticinium, seu futurorum prædictionem, siue id aliter nostro iure appellare maluerimus, efficienter antecedere dicãtur? Hoc est quod scire percuperem, & in quo hodiernam collocari operam uolebam. Quamobrem considera, inquit Capella, & uide quomodo id quod liberaliter mihi pollicitus es, & in te pro ijs etiã sponte recepisti, bona fide rependas, nisi forte abnegare, & ut mali solent debitores, decoquere mauis, quàm persoluere. Meliora quæso, inquit ille. non enim is sum Fusce, neq; adeo obæratus existo, ut tam turpiter nullo negocio mea concidat fides. Cæterum memineris uelim, me tibi illud pollicitum fuisse, & solum id debere fateri, quod possim, & quod planè repræsentare queam: nãq; quod supra

Prænestinæ sortes.
Aegeriæ lucus.
Fauni.
Carmenta.
Pasiphaę fanũ.
Amphiarai fanum.

me est, uiresq; longe excellit meas, nulla (ut arbitror) obstrictum me tenet obligatio: quin tibi illud meo arbitratu, integra etiã fide, abnegare poßim. Hoc iccirco dixi, quia te uelut in scena aliqua, ex grammatico philosophum continuo prodisse animaduerti, abstrusasq; occultißimarum rerum causas, historiæ metas transgressum, rimandas proposuisse. Cæterum bono sis animo Fusce, nam quæ ego in præsentia persoluere non potero (quæ mea est fiducia) Leonicus hic pro me intercedens repræsentabit, & ut tibi satisfiat sedulò curabit: & ad me conuersus, Quin tu, inquit, Leonice, amici fidem liberas, cum qua etiã obstricta est tua: & de ijs prædictionũ oraculorumq; causis, si quid ex antiquorum mysterijs recõditi seruas (quod de te non dubito) in medium affers? nanq; & promißis fideliter satisfeceris, & omnibus insuper nobis rem gratißimam facies. Quid enim est quod huic rei in præsentia præuertendum esse putemus: aut ubi potius hodiernam operam impendere sedulò debemus, quàm in ijs, quorũ cum omnimodam Fusco narrante cognouerimus historiam, horum etiã te dissertãte causas pernoscere cupimus? Huic cum hospes noster, & Fuscus non solum assensi fuißẽt, sed me insuper impensius rogarẽt, urgerent'ue ut id oneris sua causa subire uellem, sibiq; hac in re morẽ gererẽ: quandoquidẽ uos inquam sic uultis, & orando etiam iubere uidemini, parebo libens, & hanc mihi demandatam prouinciam alacriter suscipere non uerebor: in qua (ni fallor) non tantũ reprehẽsionis, si quid aut prætermissum à me, aut præposterè dictũ fuerit, quantum ueniæ, ne dicam laudis, quod cito uobis paruerim, uel apud iniquos iudices me cõsequutum iri nõ dubito. Quotus enim quisq; est qui de re tanta uerba facturus, uel satis paratus merito uideri poßit, uel hominũ

studio

ſtudio plene ſatisfacere ualeat? nedum ego qui iam diu (ut ſcitis) ab ijs literarum ſtudijs defeci, & totum me in Ariſtotelicos commentarios, quos etiam publice profiteor, cõieci, in quibus aut nulla de iſtiuſmodi, aut exigua quædam, & ad phyſicas magis cauſas, & has quidẽ deproprè ſpectantia pertractantur: iſta uero quæ uos à me in præſentia audire percupitis, & abſtruſa ſunt certe, & ex media (ut aiunt) philoſophia repetita: non ea quidem quæ phyſicas de proximo rimatur cauſas, rerumq́; proprietates & effectiones ſpeculatur: ſed ex illa quæ ſublimioribus diuinioribusq́; cõtẽplationibus uniuerſam planè impendit operam. Quamobrem ſcio me hodie ieiune admodum & tenuiter, ne dicam inepte, totam hanc rem pertractaturum, quæ neque præparationis, neq; tẽporis, ut explicari ex dignitate ſua poßit, habere uidetur ſatis. Dicã tamen, quando ſic uobis placere nunc uideo, & ea certe dicam, quæ mihi in promptu erunt, & ad manum uenient. Cætera uos recõdita magis, & exactiora, de alijs poſthac requirere curabitis. Sed uultis'ne, inquã, quoniam ſatis hic fuimus, & aliud dicendi ſumendum eſt initium, ut locum etiam mutemus, & hos concluſos parietes relinquamus, ut aperto aëre, & liberiori cœlo perfrui poßimus? Hoc eſt, inquit hoſpes noſter, quod iam pridem dicere uolebã, ſed iccirco tacui, quia uos interpellare, aut alicui ueſtrum rem ingratam facere ſubuerebar. Quare ſi id placet omnibus, egrediamur, nam melius (ut opinor) ſub diuo manebimus, quando & dies inclinare iam incipit, & pleraque ſunt loca, ubi grata arborum opacitate, ſaxorumq́; frigidißimis umbris, diei adhuc reliquum æſtum ſalubriter temperare poterimus. Hic cum omnes hoſpitis noſtri ſententiam cõprobauiſſemus, ut eramus domo egreßi, ſumus



& per collis iugum, ubi sita est uilla, paululum progreßi, illo duce ad dextrum inter amœnißimas quercus molliter descendere cœpimus, secundum aquæ riuulum quendam, qui in subiectã delapsus uallem, per lætißima repens gramina, tacitus defluebat. hic alijs alia, & eadem inuicem miris laudibus extollentibus, & tum aëris salubritatem, tum loci ipsius amœnitatem & gratiam magnopere admirãtibus: Quid uos, inquit hospes, faceretis, si istos uillam hanc in gyrum complexos colles uideretis? Quibus quantum ex hominum cultu detractum est, tantum profecto naturali accedere gratiæ manifeste percipitur. Profecto Faunos illic, & agrestes nymphas, rurisq; numina habitare & uagari solere cõtenderetis: undiq; enim irriguis scatent fontibus, ubiq; salutiferis cõuestiuntur herbis, quas Dominicus Sennus, nostræ ætatis (ut scitis) inter herbarios præstantißimus, certißimos & præsentaneos habere effectus mihi sæpißime affirmauit. Solet enim harum inueniendarum gratia ad nos sæpius accedere. Sunt præterea eo loci speluncæ aliquot, tali structuræ forma excauatæ, adeo fornicibus cõcameratæ crebris, ut artis, nõ naturæ opera planè uideri poßint: quas quoties ingredior, ingredior autem libenter quoties ad ea loca peruenio, toties ceu præsentis cuiusdã numinis religiosus quidã inuadere me solet horror. Verũ quid hæc ego, inquit, uobis pluribus cõmemoro? cras, si uolueritis, illuc accedere poterimus, ut oculata (ut aiunt) fide, quæ dixi percipiatis. Dum hæc hospes loquitur, iam ad uallis ipsius initiũ peruenerамus, quæ non saxis aspera, aut anfractibus salebrosa & inuia, sed spatijs sensim decliuibus exporrecta, altißimisq; cõsita populis, inter duos hinc inde assurgentes colles, in Boreã spectans, molliter extendebatur: hanc mediam

diam leni defluens susurro placidißimus disterminabat amnis, paruus ille quidem, uerum argenteis nitidus aquis, & ad uadum usq; perspicuis. Huius utrinq; ripas molli uestitas gramine, lætißimæ largiter adumbrabant populi, quæ per totam alioqui conuallem plurimæ connatæ, eo tamen loci aquarum (ut arbitror) altrice ui, pulchriores proceriores'q; surgere uisebãtur. Tum Capella, Quid tu, inquit, hospes proximos refers colles illorũq; nobis amœnitatem pluribus inculcas? non'ne hæc amœnißima uallis omnium sanè elegantiam locorum uel sola superare potest? Quæ situ salubris, arboribus consita, gramine fertilis, aquis irrigua, auium sonora concentibus, undiq; omnibus renidet angulis, ut neq; decantatas Penei amœnitates, neq; Theßalica Tempe, iure quis illi comparare ualeat. Quamobrẽ, si sapimus, hic in umbra considamus, & prope aquulam istam amœnißimam inceptum à nobis sermonem absoluamus: uidetis'ne ut hæc ripa, ceu id habuerit operis, ut hãc nobis ad disceptandum efficeret sedem, sensim decliuis molliter se substernat, plenos'q; herbarũ thoros largiter subministret? Vera narras, inquit Fuscus, quare nisi quid aliud Leonico uidetur, hic considamus. Mihi quidem inquam nihil hoc loco pulchrius, nihil gratius, aut ex animi mei sentẽtia magis esse potest: quare nulla est mora, quin hic sedentes, quod agendum nobis est commode peragamus. Consedimus igitur omnes, alius aliò secundum flumen, quo quisq; loci cõcupiuerat maxime. Et ego, Quandoquidem inquam hoc mihi hodie dicendi munus omnes iniunxistis, & tantum me oneris subire uoluistis, parebo libens. Cæterum antequàm ad propositam deuoluamur quæstionẽ, Deũ prius Opt. Max. à quo omnia quæ mente, sensu'ue percipi possunt, per gradus producta, ad

illum

illum rursus numeris quæque suis retro feruntur, supplices ueneremur: illumq́; intentis precemur animis, ut mentis nostræ oculos splendore suæ claritatis illuminet, ut & quæ sibi grata sint in primis dicere ualeamus, et rei quam nunc quærimus naturam, & essentiam satis commode explicare poßimus. Et isthuc quidem omnium posthac dicendorum quàm accommodatißimum in præsentia propositum à me sit procemium. Cæterum quod omnes ferè ij qui accuratius quippiam pertractare rimari'que aggrediuntur, planè facere solent, ut rem scilicet illam, de qua disputaturi sunt, rationibus esse demonstrent, ueterum testimonijs confirment, crebris stabiliant experientijs: id mihi in præsentia de diuinatione uerba facturo haudquaquam agendum esse censeo: non alia profecto de causa, nisi quòd hæc (ut opinor) res clarior testatiorq́; est, quàm ut ullis ostēsionum comprobationumq́; indigeat adminiculis. Est enim isthæc uetus opinio, & ab Heroicis usq; (ut ait Cicero) ducta temporibus, & omnium etiam gentium firmata consensu, quandam inter homines uersari diuinationem, futurorum'que diuersa diuinitus ostendi præsagia. Quamobrem non satis belle mihi fecisse uidentur Stoici, & inter eos Chrysippus maxime, qui diuinationum genera esse, futurorumq́; præsensiones inter homines reperiri, pluribus argumentorum euidentijs ostendere est conatus. Hoc enim longis annorum seculis fuit comprobatum, & uniuersa asseueranter confirmauit antiquitas, huiusmodiq́; etiam quotidie nonnulla salutariter experitur uita. Omnium prætere a ueterum philosophorum natio, præter unum aut alterū duntaxat, qui de Dijs male opinati sunt, Diuinationem esse constantißime approbauit. Ista nanque bene reciprocari, & in sese recurrere dixerunt,

Diuinationem esse.

Si diuina

Si diuinatio est, Dij certe sunt: & si sunt Dij, est Diuinatio. Clarum autem est Deos esse, & eosdem rebus consulere humanis: quare & Diuinationum clara sanè & perspicua omni procul dubio reperiri genera certum est. Quas futurorum prædictiones siue præsensiones esse hominum uitæ maxime conducentes & commodas, concorditer omnes definiere philosophi. Positis igitur & constitutis duobus ijs, quæ in quæstionibus (ut Peripatetici uolunt) prima obuersari solent, quòd sit scilicet, & quid sit Diuinatio, ad reliqua si placet omine cum bono pergere cõtendamus. ea autem sunt, ut Diuinationum effectrices causas, siue naturalibus constare dicantur initijs (ut uoluere nonnulli) seu naturam ipsam excellere & superseminere uideantur, pro uirili inuestigare conemur. Hoc enim est (ut opinor) quod Fusci mentem inter narrandum insigniter commouerat: & quod omnes postea uos à me explicari enodariq; magnopere expostulastis: uerum antequàm ad id, quod mihi demandatum est, nostra se flectat oratio, necessaria prius hac in re antiquorum diuisione quadam uti constitui, ut ex illa & quæ nobis in præsentia pertractanda sint, & rursum quæ silentio prætereunda clare dignoscere poßimus: non enim omnia (ut aiunt) uasaria in præsentia excutienda esse duxi, & temporis alioqui mihi, necnon uestrum in primis est habenda ratio. Est autem diuisio huiusmodi, duo scilicet esse diuinationum communia genera, unum quod artis sit particeps, alterum quod arte careat. Et primum quidem illud coniectura, iugiq; rerum obseruatione constare antiqui uoluerunt: Secundum uero, animi concitatione quadam & furore effici, cum is soluto liberoq; motu futura præsentit: quod & somniantibus sæpenumero contingit, & non

Diuinatio duplex.

& nonnunquam uaticinantibus per amentiam & furo=
Sibyllæ. Bacchides. rem:ut Sibyllas quondam fecisse, & Bacchidem Bœotiũ,
Epimenides. necnon Epimenidem Cretensem memoriæ proditum est, qui deo pleni, & à Phœbo afflati esse dicebantur. Cuiusmodi homines Græci φοιβολήπτους καὶ νυμφολήπτους appellare consueuerunt. Quales etiam Pausania teste, Cyprius
Euclus. Musæus. Licus. fuit Euclus, & Musæus Antiophemi filius, genere Atheniensis, & ex eadem præterea Vrbe Pandionis filius Licus. Vniuersum igitur illud non naturale, sed artificiosum diuinãdi genus (si placet) in præsentia dimittamus, quod & à iuniori sanè Academia, & à Peripateticis insuper copiose insigniterq; reprobatur, & obstinate acriterq; defenditur à Stoicis. Vbi & aruspicina cõtinetur omnis, & extorum inspiciendorum superstitiosa sanè ratio uersatur: uniuersaq; insuper sortium, portentorum & omnium coaceruatur disciplina. De altero autem disertemus genere, quod natura constare dicitur, & iccirco ab illis naturale appellari solet, quando animorum (ut dixi) uis & potestas sine ratione & scientia, motu ipsa suo soluta, & libera, cõcitari, & futura præsentire uidetur. Quod diuinãdi genus (ut in Phædro inquit Plato) antiqui Ma=
Mania. niam, id est furorem, siue insaniam uocauerunt, quoniam soli diuino furore afflati & perciti uere uaticinarentur & prædicerent Vates: Posteriores uero T, interposito
Mantia. elemento, Mantiam, id est, diuinationem appellauerunt. Quo in genere oracula omnia, & somniantium etiam præsensiones manifestissime contineri perhibẽtur. Siquidem his duobus tantum modis sine ratione & scientia liberi & soluti incitantur animi: Vno uidelicet furentes, altero somniantes. De ijs igitur uerba nunc faciemus: nanq; de singulis diuinationum generibus distinctius uelle per

le perquirere, & infinitum profecto esset, & à re quam proposueramus proculdubio perquàm alienũ. De oraculorũ enim prædictionibus & causis se libẽter audire uelle dixerat Fuscus: & idipsum in præsentia pertractare nobis fuerat constitutũ. Cæterũ quæstionẽ hanc bonis (ut aiunt) auibus aggredi incipiẽtibus, nobis ea prius, quæ ab antiquis per manus tradita tenemus, de diuino scilicet beatoq́;, & omnibus undiq; partibus absoluto animali, omnia in sese animalium complectenti genera, in præsentia supponantur, & pro receptis habeantur. Hoc enim cũ omnes in se omnium rationẽ cõtineat & causas, cunctaq́; perpetuo & iugi circunductu ex sese producat, & in se uicißim recipere dicatur, nõ immerito omniũ uera primariaq́; perhibenda est causa. Hoc Græci quidẽ κόσμον, nostri uero mundum, cum ob illius exactũ excellentemq́; ornatũ, tum propter omnimodã rerũ uarietatẽ, nõ inelegãter sane appellauerũt, animal æternũ beatumq́; omnia uidens, audiens omnia, rationaliq́; insuper animo, et diuina præditũ mente. Nihil enim prohibet (ut opinor) me hodie ex Academiæ penetralibus diuinationis causas depromere tentantem, Academicum ex Peripatetico fieri, illorumq́; sectam audacter profiteri, qui mihi alioquin cum in alijs ferè omnibus, tum hac maxime in re, mirifice consensisse uidentur: quoniã admirabiliũ ferè omniũ, quæ quotidie nescia experitur uita, de quibus aliorum planè silent dogmata, ipsi latentes rimãtur causas, & semper habent aliquid quod de huiusmodi omnibus in mediũ luculenter & cõmode afferre poßint. Diuinũ igitur hoc animal, siue mundus, seu uniuersum, siue alio quouis nomine appellari gaudet, omnia in se animalium cõplectens genera, ceu sui partes & mẽbra, uitali cuncta spiritu permeans animat, pariaq́;

Mundus animal omnibus partibus absolutum.

pariáq; comparibus copulans, & contraria disterminans à diuersis, mirabili quodam harmoniæ temperamẽto uniuersa cõponit & temperat, summáq; concilians imis, & medijs extrema coniungens & uinciens, indissolubili rerum nexu cuncta constringit. Ex quo omnes omnium rationes & causas, ceu à perenni quodã fontis exordio, partium ad se inuicem concordia & discordia, quæ Græci συμπάθειαν καὶ ἀντιπάθειαν uocant, emanare effluereq; certissimum est: has autem suis quasq; & peculiaribus numeris, singulatim quidem solus ipse exacte cognoscit, siue quis ex meliorum ordine cum illo omnia lustrat: genera uero is qui rerum naturæ perscrutationibus non sine acri iugiq; studio uniuersam impendit operam. quorũ ego uestigia sequutus diuini furoris, quem uaticinium siue diuinationem uocant, ubi tota (ut diximus) oraculorum natura cõspicitur, probabiles afferre iam nunc aggredior causas: non enim Geometricas hoc in loco necessitates quisquam à nobis iure exigere debet, tali præsertim de re, quæ naturam etiam ipsam (ut nonnulli philosophorũ & ij non ignobiles, uoluerunt) longe excellere uidetur. Cæterum ut ad rem aliquando perueniamus, quia unam horũ omnium & eandem esse existimo rationẽ, in primis de Trophonij oraculo, quod huiusmodi nobis ansam præbuit quæstionis, si placet, uideamus, ubi totam hanc rem physice prius excutere & indagare tentabo: postea etiã (si per uos, quo minus id fiat, non steterit) altiores illius rationes & causas, deo fauente, inuestigare conabor. A' diuino igitur illo, de quo diximus, animali nostrum capiamus exordium, cuius calẽtem uitalemq; (ut Poëta inquit) undiq; diffusum spiritũ, & uniuersum hunc globum, ceu uastũ quoddã & immẽsum corpus permeantẽ & mouentẽ, à solidis maxime &

me & cõpactis illius partibus (qualis esse perhibetur terra) multos sanè uariosq; excitare, & expellere halitus, à quibus diuersæ apud nos rerũ cõsequutiones efficiantur, uerisimile esse uidetur. Vnde enim tot locorũ diuersitates, tot uariarũ genera aquarũ, tãtæq; & tales terrarũ differẽtiæ constare dicẽtur? Nãq; multi planè salubres sunt situs, quidã uicissim graues & pestilentes, nonnulli lætales etiã & mortiferi perhibẽtur, ut de Ampsancti in agro Hirpino: & de Plutonia terra in Asia refert Cicero: Quid quòd aliæ quidẽ terræ acuta & excussa producunt ingenia, aliæ uero pinguia et obtusa? Quæ omnia sanè fieri ex cœli uarietate, & ex disparili terrarũ spiratione uero (ut aiunt) uerius esse constat. Quid mirũ igitur, cum tot sint terrarum, & tam diuersi anhelitus, & respirationes, tam uaria insuper tanq; inter se distantia situ suo, cœliq; positura loca, si aliquò terrarum ij exeant spiritus, qui hominum animos ad futurorum præsagia suapte ui pronos & procliues, & à diuino furore non alienos, cõcitare, & ueluti diuinitus inflammare ualeant? Quid enim (ut de Trophonio loquamur) subterraneũ illum specum? Quid medio in specu excauatum foramen, in quo ille qui Trophoniũ consulturus accedebat, cõiectis pedibus conuulsiones quasdã, torrẽtisq; rapidissimi speciem totum se uorticibus rapientis sentire uidebatur, aliud sibi uelle dicemus, quàm aduentantis motionẽ cõcussionemue spiritus, locis præsertim cauis, cuiusmodi sunt speluncæ & antra, non alienã, à quo inflatæ mẽtes & diuino illo halitu grauidæ futura facile præsentire & prædicare poterãt? Aut diuinãdi quidẽ uires (ut nõnullis placere sentio) ipsi secũ afferũt animi: id autem quod eos excitare, cõmouereq; dicitur, aëris quædã est & spiritus peculiaris proportionataq; temperies. Aliæ

namq; alijs cognatæ & commodæ existunt res, & ob id indißociabili quadam inter se uitæ concordia, & agere et uicißim pati natæ sunt. Quemadmodum enim abstrusos conchyliorum colores admixtum commode & efficaciter extrahere dicitur lamentum: cocciq́; succum nitri uis addita ualenter educit: sic animorum latentes alioqui notiones, futurorũq́; in ipsis adumbratas præsensiones, loci illius diuinus anhelitus excitare, et perspicue collustrare potest: non enim absurdum est, animum ipsum, qui ab omni æternitate uixerit, & cum innumerabilibus uersatus sit animis, omniaq́; insuper quæ in rerum natura sunt uiderit, signis quibusdam cõsequentia declarantibus futura præsentire posse. Non enim illa quæ futura sunt (ut inquit Cicero) subito existunt, sed est quasi rudentis explicatio, sic traductio temporis nihil noui efficientis, sed primũ quodque replicantis. Quibus rationibus ea etiam quæ de sacrificijs dicta sunt, cæteroq́; illius cultu, qui Trophoniũ consulturus in sacrum illius specum descendebat, manifestißime suffragari uidentur: omnia enim illa animorum expedita erant piacula præparationesq́; nimirũ illos expurgantes, ut ab omni aliorum impedimento liberi & soluti, uim illam diuini halitus bene recipere, & constanter perferre possent. Nam prophanos et cõtaminatos homines, aut nõ afflari penitus, aut nõ sine pernicie sua oraculi illius periculum facere, indicio esse potest contumax ille & impius Demetrij satelles, qui nulla numinis religione permotus, nullis expiatus sacrorum cæremonijs, spretoq́; Dæmonis cultu, & ijs quæ de more fieri solebant neglectis, sacrum Trophonij specum ingredi ausus est. Quamobrem morte (ut ferunt) repentina sublatus, temeritatis, impietatisq́; suæ meritas luit pœnas. Nec dißimilis ferè (ut arbitror)

diuinandi

diuinandi fuit ratio in Delphico Apollinis oraculo toto terrarum orbe celeberrimo: nisi quòd ille quidē, qui Trophonio utebatur uate, uel audiebat quippiā, uel futurorū cernere uidebatur euenta. Pythia uero ipsa deo plena, in sacro residens adyto, hexametris uersibus certa fundebat oracula. causam enim eandem fuisse, diuersum uero modū uerisimile est. Nam terræ etiam diuino quodā halitu Pythiam incitari, uel locus ipse testimonio esse potest. Antrū enim erat ubi sedens illa futurorum præcinebat oracula: & in eo secretior quædam pars, quam adytum ferè omnes, nonnulli cortinam uocauere: ex qua fatidicus ille spiritus, nō sæpe, neq; eodem semper modo, sed incrementis quibusdam & decrementis exhalare dicebatur: quem hauriens Pythia, atq; inde furore percita & afflata, futuros præcinebat euētus. Statis etiam quibusdā temporibus domus illa (autore Plutarcho) odoratis uaporibus, quales fere à pretiosißimis exhalare solent unguentis, uniuersa replebatur: qui ueluti à fonte quodā, ex ipsis adyti fauci bus eleuati, sensim postea euanescere sentiebantur. Calidi scilicet cuiusdā natura (ut par est) aut ui quapiā alia illos commouente & excitante. quinetiā Pythiæ ipsius corpus purū castumq́; per omnē sanè uitā esse oportebat, & ab omni hominū conuersatione, externorumq́; contagio penitus alienum. Non enim omnium mentes diuino illo halitu æquè concitari inflammari'ue poterant: neq; corporis cuiusq; habitus ingruentis uim spiritus facile sustinere ualebat. Quamobrem propitij etiam, & modo non aduentantis Dei, & contrà auersi & nolentis, ex oblatis uictimis clarißima sumebant indicia: non enim esse aptum oraculum, qui illis præerant sacris dictitabant, nisi astans contremuisset uictima, & toto succussa corpore, non sine soni

Delphicum oraculum.

ne soni cuiusdam trementis strepitu ab imis pedibus ex=agitata fuisset, quod in capite solummodo immolandarum hostiarum in aliorum sacrificijs deorum moris fuerat ob=seruare. Quam rē apud nos uates Vergilius, nullius nō disciplinæ peritißimus, non grāmaticis ex triuio, qui ijs ar=centur sacris, sed rerum naturæ studiosis, cum de hoc lo=queretur oraculo, ijs uersibus elegantißime significauit:

Vix ea fatus eram, tremere omnia uisa repente,
Liminaq́;, laurusq́; dei, totusq́; moueri
Mons circùm & mugire adytis cortina reclusis.

Halitus enim fatidici (ut opinor) præsentiam ostendere uolens poëta, motionem illā, & rerum etiā anima caren=tium concußionē recensere uidetur, sine qua neq; Pythiā oraculi illius antistites introducere solebāt, & oraculum respondere nolle contumaciter asseuerabant. Cui etiā sen=tētiæ ea quæ de primis oraculi illius initijs memoriæ pro=dita est fama, clarißime astipulari uidetur. Ferunt enim pa=storem quendam Coretum nomine, qui eò loci gregem compulerat, forte fortuna iuxta specum illum aliquando consedisse: cunq; deo percitus furentes ederet uoces, & futura prædiceret, primo quidem à confluentibus illuc un=diq; pastoribus neglectum, & pro insano habitum fuisse: mox autem cum ea quæ prædixisset ille, certißimos sorti=rentur euentus, unice ab incolis cultum, eo loci clarißimi toto orbe terrarū oraculi certißima iecisse principia. Ex quibus cuiuis clarißime patere potest, Delphicum oracu=lum ab ipsa rerū omniū parente, et eadem altrice natura, effectrices sortitū fuisse causas: terræq; diuinū halitū ua=ticinij architectum extitisse, & iccirco nō æque omnibus se insinuasse, uiresq́; uulgo suas ostēdisse: quia per cogna=ta germanaúe congruenti sibi tēperamento corpora, ex=

Coretus pastor.

purgatas

purgatas hominũ solũmodo permeare mẽtes, & furentiũ linguis indubitata futurorũ euenta, prædicere & præmonstrare natus fuerat. Nõ enim (ut diximus) incredibile cuiquã merito uideri debet, in tanta præsertim rerum naturæ uarietate, alia ab alijs intimo quodam uitæ cõmercio, naturaliq; rerum concordia quodãmodo affici & pati, quæ à cæteris ne parũper quidem moueri sunt apta. Herculeus lapis (quem magnetẽ uocant) ferrum ad sese trahit, paleas non sentit: cõtra electri uim, quod succinũ appellãt, palearum festucas non solũ attrahentem, sed arcte etiam tenentem uidemus: cui si ferrum applices, nihilo sanè plus efficies, quàm si paleas magneti proximas facias. Sed quid ego hæc, quando magnes etiam ipsa quantũuis pusilla & tenuis, altero sui latere ferrũ trahit, altero respuit & expellit? ne miremur uarias rebus in uarijs naturæ affectiones reperiri, quãdo in tantillo lapidis corpusculo cõtrariæ adeo & dissidentes inter se uires manifestissime conspiciantur. Potuit igitur illum qui ad Trophonium descendebat, uis ea terræ futuri imaginosum, & præscium reddere: sicut Pythiã diuinus ille halitus incitare ualebat. Multa enim ijs ipsis in rerum natura haudquaquam dissimilia quotidie experitur uita, quæ si quis clara mentis acie animaduertere uoluerit, profectò ijs etiam quæ recensuimus haud magna cum re fidem præstare poterit. Hederæ folia commanducata ebrietatis speciem quandam repræsentare, & procliues ad furorem mentes ualenter incitare, autor est Plutarchus: & ideo (ut opinor) non tantum præsidis dei causa, quantum quia ipsos mouere, & inflammare poterant animos, hederaceæ poëtis coronæ dabantur: qui sine furore quodam (ut Democritus & Plato testantur) magni sanè esse non possunt. Vinum quinetiam ipsum

Magnes ferrũ attrahit, paleas respuit: Electrum contrà.

Hederæ folia inebriant.

Vini uis.

non'ne liberalius haustum ad secretorum recōdita elicienda, & nullo respectu proferenda uel maximam habere uim ab omnibus ferè perhibetur? unde apud Græcos natum prouerbium οἶνος καὶ ἀλήθεια, id est, uinum et ueritas: quod etiam, ut Aristoteles refert, ad uarios in hominibus efficiendos mores, & ad multiplices animorum cum sedandos, tum incitandos motus, pro corporis cuiusq; habitu, & temperamento, necnon ipsius mensura admirabiliter ualere uulgo experientia docet: alij enim illo epoto hilares fiunt & garruli, tristiores alij & taciturni, nonnulli seueriores & rigidi, contrà plerique faciles & misericordes. Sunt & qui furentes penitus eo & insani efficiantur: ut merito diuina quædam in illo uis & natura existimari poßit, quæ mentes hominum, ut quæque affici nata est, incitare & commouere efficaciter ualeat. Et hæc sunt ut de multis pauca, quæ de Trophonij prædictionibus & Delphico Apollinis oraculo in præsentia dicere habui. Ex quibus duo etiam illa quæ refert Porphyrius, oraculorum genera, quæ'nam fuerint, et ex qualibus prouenire potuerint causis, non ab re cōiectari potest: quorum unum fuerat Colophonium, ubi aqua ebibita de futuris uates respondere solebant. Alterum uero Branchidicum, in quo halitum ex aqua ascendētem haurientes antistites uentura prædicebāt. Vtrisq; enim similis (ut par est) diuinandi suberat ratio, quamuis quo dabantur modo uaria esse uiderentur. Quemadmodum ijs etiam quæ paulò antè ex Pausania retulit Fuscus, ijs inquam quæ naturalia sunt & per furorem fiunt, minimeq; ad artificiosum illud diuinādi referuntur genus: ut de puteo scilicet in Hysia Bœotiæ ciuitate, cuius aqua ebibita Appollinis sacerdotes futura prædicebant: & de oraculo præterea Argis in

arce

arce, ubi statis diebus agni epoto sanguine, uiri nescia mulier, futuros præcinebat euentus: omnia enim ista rerum naturæ sunt opera, ex cœli uarietate et dispari (ut diximus) terrarum respiratione profecta, quæ hominum animos pro uaria cuiusq; affectione incitare & commouere suo iure ualenter possunt. Quos non solum ijs, sed alijs etiam plerisq; concitari rebus afflari'ue perspicuum sanè est. Multi enim Phrygijs (ut ferunt) cantibus, uariaq; sonorum harmonia uehementius impelluntur animi: nonnullos nemora & syluæ, plerosq; amnes aut maria magnopere commouent, & non solum ij terrarum halitus, et afflandi, quos recensuimus modi: in tantum ut nihil magis diuinam animorum naturam & uim, quàm illorum frequens concitatio & permotio nobis declarare posit. Cæterum hoc quispiam in loco non immerito ambigere posset, quonam modo ij terrarum halitus, qui corpulēti alioqui crassiq; esse perhibentur, animum ipsum à corporea seiugatum natura pertingere, talesq; illi affectiones inurere ualeant: id nanque quod corpore caret, à corpulento pati, ne suspitione quidem bene fingi potest. Huic pro tempore breuiter sanè hoc occurri potest modo, huiusmodi uim, siue illam terrarum naturam, siue animam & habitum spiramenta'ue quædam appellare malumus (nihil enim refert quo'nam eam uocemus nomine) ipsum quidem non afficere animum, quamuis pro sermonis cursu sæpius idipsum dixisse uidemur, sed illius secundarium uehiculum, id est fantasticum, siue animalem spiritum, quem nonnulli primum eius esse dixerunt corpus, concitare & inflare posse: quæ illius affectiones cum postea ab ipso propter essentiæ cognationem facile percipiantur animo, efficiūt sanè, ut ille latentes posthac & abstrusas in sese rerum



excitet rationes, ex quibus iugi cõsecutionis serie ea quæ futura sunt multo antè præuidere & prænoscere potest. Verum isthæc quoniam altioris cuiusdam quæstionis dubitationem disquisitionemq́; afferre uidentur, in præsentia missa faciamus, propositumq́; de naturali diuinatione negotium hic opportune concludamus, quãdo efficientes eius causas & rationes in rerum natura insignitas reperiri satis distincte (ut arbitror) in ijs quæ retro dicta sunt demonstrauimus. Vnũ tantũmodo hic addã, quod plerosq; hac de re non immerito ambigere, & animi dubios facere solet, uires uidelicet illas corporũ animorumq́; motrices aliquando posse deficere, quemadmodum à supra dictis locorũ sitibus, longo decantata æuo euanuisse uidemus oracula: non alio quippe modo, quàm quosdam defecisse fluuios, aut in alium contortos cursum, & deflexos fuisse, manifestum sanè est: nihil enim à lunæ complectitur orbe, quod longinquis temporum spatijs aliquando non fatiscat & corruat, & alioqui physica dictat ratio, quæcunq; aliquando ortum habuerint, finem quoque ut habeant necesse esse. Verum posse etiam uicißim non negauerim, annis uoluentibus, ijsdẽ uel alijs numeris eadem de integro exoriri, ut rerũ inuariabili serie illa summus mundi opifex ante secula fore præscripsit. An non meministis miraculi illius, quod superioribus annis in agro Veronẽsi, non longe à Benaci lacu Alpes uersus, uulgo proditum est contigisse? Templum scilicet quoddam diuæ Mariæ eo in tractu dicatum esse, in quo statis diebus quidam terræ excitabatur halitus, qui ædem sacrã ingressos homines excitabat adeo & cõmouebat, ut singulis primũ artubus cõtremiscerent, mox etiam (si diutius permansissent) nõ sine incondita quadã manuum & ceruicis iactatione incessanter

saltarent

saltarent, neq; nullo consistere possent modo: quod tamen non omnibus accidere dictũ est, sed plerisq;, quos (ut opinor) exhalans ille spiritus pro habitu quodam corporisq; tẽperamento, solummodo afficere & concitare poterat. Qui postmodũ terræ halitus deficientibus (ut par est) causis, illo quo exire cœperat anno, euanuisse dicitur, licet id ipsum, ut moris est, uulgus imperitorũ superstitiosius etiã nunc interpretari nõ desinat, & supenaturalibus aßignare id causis contendat. Et hæc de naturali diuinationum genere, quod per furorem fit, deq; illius physicis rationibus & causis in præsentia dicta sufficiant. Reliquum est, ut alteram eius partẽ, in qua uniuersa somniorum continetur ratio, pro uiribus explicemus, ut uniuersum hoc genus ex omnibus, ut aiunt, angulis solerter excutiatur: & nos id, quod à principio polliciti fuimus, bona fide rependere uideamur. Qua in re (quod in superiori etiã fecimus capite) eas primum inuestigabimus causas, quæ & naturales sunt, & in nobis ipsis originẽ habere uidentur suam: reliquas uerò siue extrinsecus accedentes, seu naturam etiam ipsam excellere creditas, quas pleriq; solas et ueras huiusmodi somniorũ causas esse uolucrũt, postea si uos idipsum uelle cognouero, pro uirili inuestigare conabor: quamuis animi dubius sim, totam hanc rem me hodie (ut par est) satis plenè cõgruenterq; explicare posse. Video enim deficientẽ iam cedere diem, rupiumq; & arborũ duplicatas excrescere umbras, & non pauca adhuc restant quæ dici cõueniunt. Cæterũ quod hodie fieri non poterit, nihil (ut arbitror) prohibebit quin cras, uel perendie, aut quando uolẽtibus magis uisum fuerit uobis, distinctius cõmodiusue etiam fiat. sed unde egreßi sumus iterum (si placet) reuertamur. Somniorum rationem fatidicorum uniuersumq; Somniorũ fatidicorũ ratio.

 insuper

insuper illud diuinandi genus, quod liber dormiente corpore ex sese proferre dicitur animus, neq; prorsus esse cōtemnendam, neq; omnino admittendā & confirmandam Aristoteli placuisse uideo: quippe qui omne id naturalibus quidē prouenire causis, uerum ex corporis ipsius habitu tēperamentoq́; emanantibus, haud dubitanter existimet: & iccirco ea solūmodo, quæ ad somniantis pertinent corpus, præominari præmonstrareq́; posse confirmat. Reliquorū uerò neq; causas esse somnia, neq; indicia, sed fortuitorū quorundā uicem solūmodo uult obtinere. Quamobrem eos absurda opinari dicit, qui somniorū à deo mitti genera existimauere: quod si alioqui uerū esset, sapientibus, inquit, ea, prudētibusq́; uiris, & nō cuiuis è populo à dijs mitti illa utiq; par esset: & ad summā uniuersum hoc diuinandi per somnia genus extenuare labefactareq́; planè contendit Aristoteles, & pro corporis habitu qualitateq́;, præteritarū quinetiam modis cogitationū formari effciq;, & res quæ ad somniantis pertinet corpus solū præmonstrare asseueranter affirmat. Cæterum omnis contra illū hanc ob rem Academia & uniuersa insuper Stoicorum reclamat natio. Vita quinetiam omnis, cuius certe firmū ualensq́; esse debet testimoniū, refragatur, somniorum esse diuinationē futurorumq́; præmōstrationē quandam contumaciter asseuerantes: uerorumq́; ab omni antiquitate, & indubitatorū exemplorum, quæ uulgò etiam quotidie experimur, infinitam penè multitudinē in mediū adducentes: quæ ego in præsentia iccirco prætermittere decreui, quia & tēporis ad illa explicāda nō satis habere uidemur, & ex illorum uos commentarijs commodius ea posthac & seriosius colligere poteritis. Vnum tamen hoc silentio præterire non possum, quod de Aristotele ipso locuples

cuples sanè autor refert Cicero, ex quo non omnem illum somniorum diuinam præsensionem funditus sustulisse, sed animos aliquando nostros curarum impeditione liberos iacēte & mortuo penè corpore futura præuidere uoluisse clarissime (ut arbitror) percipietis. Scribit enim in suis de diuinatione commentarijs is autor, post uaria somniorum exēpla, his planè uerbis: Quid singulari uir ingenio Aristoteles, & penè diuino, ipse'ne errat, an alios uult errare? cum scribit Eudemum Cyprium familiarem suum iter in Macedonia faciētem Pheras uenisse, quæ erat urbs in Thessalia, tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur oppido ita grauiter ægrum Eudemū fuisse, ut omnes medici diffiderent. Ei uisum in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore ut breui conualesceret, paucisq; diebus interiturum Alexandrum Tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio pòst domum esse rediturum. atq; ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta, & cōualuisse Eudemum, & ab uxoris fratribus interfectum Tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo sumnio in Cyprum illum ex Sicilia esse redíturū, præliātem cum ad Syracusas occidisse. Ex quo ita illud somnium esse interpretatum, ut cum animus è corpore excesserit, tum domum reuertisse uideatur. Intellexistis'ne quæ de Eudemo familiari suo, deq; eius somnio, quo nihil clarius, nihil diuinius unquam fieri potuit, Aristoteles scripta reliquit? Nō omnia igitur fortuito euenire somnia, aut futuras solummodo corporum habitudines ex paruis præmonstrare initijs uir ille, ut uidetur, existimauit: sed alia quædā esse somniorū diuiniora genera, quæ à corpulentis non essent quærenda causis, constantissime credidisse, cum hæc scripserit

pserit, uerisimile est. Et profecto ita se res habet: nõ enim dißimilis admodum somniorum uidetur esse ratio à uatum furore illo, de quo retro uerba fecimus. Nam quæ uigilantibus accidunt uatibus, eadem dormientibus nobis ferè euenire solent. Viget enim in somnis animus, liberq́; à sensibus, & curarum solutus nexibus, & à sopito insuper corpore, ceu iacente & mortuo seiugatus euolat, & quodammodo foras excurrit, uidetq; omnia illa & percipit, quæ in rerum dicuntur esse natura, si modo (ut inquit Plato) temperatis escis, modicisq́; potionibus ita est affectus, ut sopito corpore, ipse uigilet, suasq́; tunc res agat. Et hæc profectò somniantis uera est & indubitata futurorum præsensio. Cui certè sentẽtiæ cum Academia omnis, tum uniuersa etiam Stoicorum fauet natio, omnisq́; insuper uita consentit. Neq; hic tamen obstare sanè potest id, quod obijcere non ab re multi solent: infinita scilicet falsa euenire somnia. nanque forsitan haud falsa sunt, sed nobis obscura & recondita. Verum sint falsa nonnulla, contrà, uera pleraq; quotidie experitur uita: quæ etiam multo plura proculdubio euenirent, nisi nosmetipsos cibis potionibusq́; suffarcientes onusti certè, & marcescentes cubitum iremus, partemq́; animi illam (ut inquit Plato) quæ mentis consilijq́; particeps est, affluentibus sepeliremus epulis, & uino obrueremus, malisq́; insuper prauarum cogitationum illecebris corrumperemus. Hæc namque ipsa diuinationi sanè officere, & illius claram aciem penitus perstringere solent. Verum quid ego nunc de re tam perspicua, totq́; ueterum testimonijs approbata, tantis antiquorum philosophorũ fulcita exemplis, & ab omni præterea uita constantißime recepta & credita, pluribus apud uos agere contendo: & nõ potius quod propositum

est

est, illius causas rationesq́; inuestigo? Quamobrem ijs dimißis, ad rem nostrã (si placet) deueniamus. Tres somniorum causas esse fatidicorũ, tribusq́; modis dormientiũ animos futura prænoscere posse ab antiquis memoriæ proditum est: Vno quòd suapte ui ipse per se præuideat animus, quippe qui inter diuina et mortalia medius existere, eaq́; cognatione quadam & affinitate facile pernoscere dicatur. Alio quòd immortalium plenus animorum sit aër, quos dæmones uocare cõsueuimus, in quibus omnis ueritatis insignitas animus noster percipere poßit notas, & ab illis etiam de rebus sanè omnibus plenè doceri queat. Tertio quòd ipsi nobis dij, superiorq́; natura (sic enim in præsentia ipsam supereminentem appello essentiam) hanc animis nostris diuinationẽ insinuent. Nam Democriti & Epicuri de imaginibus simulachrisq́; suis sententias, quæ nocturno præsertim tempore propter sensiteriorũ uacationem, aërisq́; immobilem tranquillitatẽ, animos nostros ingredi, & ueluti pulsare uolebant, & sic uisa nobis efficere, iamdiu reiectas & explosas in præsentia missas faciamus. Ex ijs igitur tribus quos recensuimus modis, posteriores illos duos qui Dæmonũ generi, deorumq́; naturæ diuinationis per somnia munus acceptum referunt, silentio nunc ideo præterire decreui, tum quia extrinsecus huiusce rei causas afferre uidentur, nos autem naturales cognatasq́; & internas quærimus rationes, tum etiã quia totum hoc (ut diximus) negotium, ueluti ab alio quodam exordientes initio, post expletam hanc (si dabitur) quæstionem, commodius distinctiusq́; pro uirili explicare conabimur. Primũ igitur illum (si placet) uideamus modũ, qui animis nostris intrinseca quędã diuinationis per quietem & connata semina inesse uoluit: in quo eam nimirum

Tres somniorum fatidicorũ causæ.

iuncta

iuncta esse uidetur diuinandi ratio, quam uigilantibus per furorem animis in superioribus contingere diximus. utrobique enim soluti & liberi animi ceu spreto corporum contubernio ex sese ea nimirum proferũt, quæ quominus sæpe proferre poßint, corpulenta obstare uidetur moles, isq́; qui ei debetur necessarius uitæ cultus: corporis enim angustijs conclusus animus & sensuum impeditione distractus ceu captus oculis, quæ poßidet bona non animaduertit: qui si fortè per diuinum seuocatus furorem, aut per placidæ quietis munus in sese respiciẽs, ab illius societate & contagio liber euaserit, ea certe prospicit, ex quibus constare dicitur: cuius cum media inter uere entia, & illa quæ ad generationem ueniunt perhibeatur esse natura, omnia etiam peculiari & suo poßidere modo uero consentaneum est. Meminit igitur præteritorum, præsentia cernit, futura præuidet. Diuinusq́; certe opere in illo, quin imò ueluti mũdanus quidã esse cẽsetur Deus. Verum quonam modo illa quæ liber ipse per se cernit animus somnians percipiat homo, quispiã non immerito hic ambigere posset. Quamobrem ut hanc etiam rem bene excutere, & introspicere ualeamus, quædam prius nobis ex ipsa philosophia in præsentia sunt mutuanda, quæ sunt huiusmodi: Mentem sanè animi nostri caput eo nempe se habere modo ad animum ipsum, quo se habent uere entia ad ea quæ nõ esse, sed fieri ab Academicis dicuntur. Sicut enim mens coniunctim omnia ceu per contactum, & unico (ut aiunt) ictu intelligere dicitur: humanus uerò animus ratiocinando uarios agit discursus: Ita quodcunq; in seipsis ea quæ uere sunt entia, simpliciter coniunctimq́; colligunt, illa quæ generantur & fiunt longis sanè uarijsq́; proceßibus & regreßibus diuisim explere conantur. Eodem igitur

(ut di

(ut diximus) se habent modo uere entia ad ea quæ fiunt, quo mens ad ipsum se habere animum dicitur. Si igitur in quatuor ijs suprà narrata transferatur similitudo, & ut mathematicorũ certißima nos docent præcepta, cõmutatim uarietur proportio, illud sanè, quod erit primũ tertio, hoc secundũ esse quarto uerißimum est. Sicut igitur mens se habet ad uere entia, ita se habebit animus ad illa quæ fiunt. Sed hoc in conceßis est, mentẽ uere entium in se species habere omnes: animum ergo eorum quæ fiunt species poßidere omnes, & in se continere necesse est. Habet igitur sanè omnes, in actum uerò producit illas quæ conueniunt, atque ijs ipsis speculi more fantasticam illuminat uim, per quam animal quæ intus sunt posthac animaduertere dicitur. Cæterũ quia totam hanc rem (ut opinor) disputantiũ magis, quàm docẽtiũ more arctius cõstrinxisse nunc uideor, & iccirco ista quæ modo dixi, uobis obscura cognituq́; difficilia esse non dubito, ne malorũ exemplo ducũ, in itineris ipsius termino & calce, ex patẽtibus campis, latisq́; uiarum spatijs in angustißimos calles, & impedita salebrosaq́; uos loca conieciße uidear, & animi dubios & perplexos reliquisse, id ipsum quod obscurius dixi (nisi forsitan audire piget) nullo negotio uobis breuiter & expedite cõplanabo: ubi etiam uniuersa somniorũ ratio quoad intrinsecas eius & naturales causas, cõmode colligi, & pro tẽpore congruẽter cõcludi poterit. Nã de alijs extrinsecis causis, tam ad rem istã, quàm ad alterum illud diuinãdi genus quod per furorẽ fit, pertinentibus, cũ hodie ob temporis angustiam pertractare posse iam desperem, cras nisi quid aliud uobis huic rei præuertendũ esse duxeritis, accuratius pleniusq́; explicaturũ polliceor, & in me sanè recipio. Sed redeamus. Animum humanũ Academic

demicorum inhærentes uestigijs, omnium illorum quæ generantur plenitudine ornatum insignitum'ue, in terreum hoc domicilium descendere affirmamus, omnimodasq́; rerum in se continere species dicimus. Sed cum immortalis res & diuina, morti obnoxiæ rei & ut ita dicam prophanæ, & indiuidua natura undiq; sectionem diuisionemq́; patienti, apte coniungi commisceri'ue non poßit, corpore iccirco quodam opus fuit medio, quod illi uehiculum uocant, quæ res dißidentes inter se adeo naturas, & ueluti contrarias naturali quodam nexu, temporaneisq́; uinculis coniungere uincireq́; posset. Hunc animalē spiritum alij, nonnulli fantasticum illum appellant, primum animi corpus, uel secundum, si tribus in descensu utitur uehiculis animus, ut multos ex Academicis uoluisse animaduerto, qui eum etiam sensuum omnium communißimum sensiterium esse dicunt. Omnes quippe sensus fantastico ministrare spiritui, & aßidue illi famulari & præsto esse perhibentur. In hunc igitur solutus & uere sapiens animus, placidaq́; quietis tranquillitate, à sensuum perturbationibus molestijsq́; otium agēs, quæ extraneas alienasq́; in illum naturas paßionesq́; inferre solēt, quotcunq; poßidet species & rerum formas, & quot etiam à superiori accipere dicitur mente, deriuare transfundereq́; consueuit: qui speculi in morem perspicuis insignitus illustratusq́; imaginibus, in ipsum ut conuenit ab animo traductis, in se conuerso animali illas clarißime spectandas uidendasq́; proponit, ex quo certißima ueritatis indicia plerunq; animaduertit homo, futuraq́; tum uigilans, tum somno cōpositus naturaliter præuidere potest. Nihil enim refert utrum cōcitatus spiritus (quod in uigilantibus fieri diximus furore) animū excitet ipsum: latentesq́; rerū imagines

imagines inde elicere ualeat: An contrà (quod in somnijs accidit) animus ipse expurgato puroq; spiritui ea quæ possidet bona affatim largiatur: eadem enim utriusque diuinationis esse censetur ratio: licet non eodem procedat modo. Non semper autem ea quæ animo insunt uidet homo, quia non semper in fantasticum illius spiritum eorum quæ in animo resident uestigia insigniuntur: quo nõ moto nihil profecto cernere licet: quemadmodum neque mentis ipsius actionem deprehendere ualemus, priusquam eum qui patibilis appellatur, mouerit intellectum: omne autem quod non eo fit modo, nos penitus latet. Quamobrẽ spiritum hunc ut ad huiusmodi peragẽda mysteria aptus cõueniensq; esse poßit, quàm purißimum defecatißimumq; habere oportet: quod tum religiosis sacrorũ cærimonijs, necnon philosophiæ studijs, reliquisq; illius expiationibus: tum uictu modico, modestisq; & temperatis potionibus, bonisq; insuper, & diuinarum rerum aßiduis cogitationibus effici posse, ij nobis pro constanti tradidere, quibus hæc inuestigare & perquirere curæ fuit. Non mirum est igitur de Esseorum apud Iudæos gente, diuino semper cultui dedita, ut Iosephus narrat, & Porphyrius etiam memoriæ prodidit, si inter eos futura multi præsagire ualuerunt, & ideo prophetæ sunt cognominati: ab animalibus enim per omnem ætatem, & ab omni prorsus uitæ luxu, & incontinentia eos pertinacißime abstinuisse memoriæ proditũ est: solisq; religionis mysterijs, & diuinis cõtemplationibus aßiduam impendisse operã: à quibus uitæ institutis expurgatæ (ut par erat) mentes, se ipsas facile introspicere & futura perspicue poterant præuidere. Simili ferè uitæ cultu & instituto Pythiam, Dodonæasq; uates omnem traduxisse ætatem, eodemq; uictitasse modo



ab antiquis rerum scriptoribus traditum est. Amphiarai præterea, Pasiphaæq; in Lacedæmone somnia, non aliter prouenisse uerisimile est: in omnibus enim ijs una & eadem ferè expurgatorum animorum subesse uidetur ratio. Diuina enim prophanis insinuari posse negat Plato. Et hæc de diuinandi genere illo, quod naturale uocant, & in uigilantium furorem, dormientiumq; fatidica disterminant somnia, pro temporis breuitate, ingenioliq; nostri mediocritate dicta sufficiant. Reliquam uero debiti pensionem, qua uobis distringor, nulla erit mora (nisi quid aliud forte uidebitur) quin eam cras uobis integram bona fide persoluam. His dictis aßurreximus omnes, & inclinata iam ad uesperam die, domum ire perreximus.

BEMBVS,

SIVE,

DE ANIMORVM IMMORTALITATE.

PETRVM Bembum, *qui Leonis Pont. Max. à secretis fuit, nemo est qui ambigat, inter ætatis nostræ eruditos ferè omnes optimarũ artium facile sibi primas uendicare: neque id mehercule iniuria: nanq; admirabili quadam à teneris annis ingenij dexteritate bonarũ literarum disciplinas ingressus, & excellentißimis usus præceptoribus, in magna electißimorum librorũ copia, neq; sumptui, neq; laboribus parcens ullis, plurimũ illis studij impendit, & temporis: unde ad eum sanè literarum peruenit apicem, ut sine controuersia cum*

doctißi

doctißimus, tum omnis elegantiæ specimen & sit, & merito ab omnibus esse censeatur. Verum diuinæ illius philosophiæ, quæ à Socrate primum exorta, à Platone postmodum Academicisq́; pertractata, & illustrata fuit: quæ seculi nostri ignauia haudquaquam cognita, admodum spernitur, cum prius eruditorũ ferè omnium animos sola teneret & componeret sola: illius inquam philosophiæ omnes ferè ad hanc usque diem uel ignarũ omnino illum, uel neglectorem constanter arbitrati sunt: idq; ipsum, ut opinor, propterea accidisse crediderim, quæ cũ illum summa quadam animi affectione humanioribus literis delectari animaduerterent, & poëticis interdum studijs, pangendisq; carminibus uacare cognoscerent, grauioribus eum ac planè seuerioribus philosophiæ præceptis adhibuisse operam non existimabant: aut hominum fortasse uitio id suspicabantur, qui quod in se esse non sentiunt, aut etiam assequi se posse diffidunt, nec habere alium quempiam, nec consequi posse contendunt. Verum longe aliter se res habet: Is nanque uir cum in cæteris philosophorũ decretis, tum in Academicis præcipue tantos habet progressus, ita in reconditos disciplinæ illius recessus sese penitus indidit, ut cum excellentibus eo in dogmate uiris, non modo ætatis nostræ, qui sanè sunt perpauci, sed prioris etiam seculi, tum cum excultior multo erat ætas, non immerito comparari, certareq; poßit: adiunxit præterea tot tantarumq́; rerum cognitioni admirabilem quandam eloquentiæ gratiam, ut siue quid ex tempore proferre uoluerit, siue scribendo literis mandauerit, ita illius fluat niteatq; oratio, is certe scriptionis sequatur stylus, ut unus nostra ætate, quod raro sanè prioribus etiam contigit seculis, dicendi lepôrem, cum rerum peritia

copulasse merito uideri poßit. Quod cum sæpe aliâs Romæ in publicis administrationibus, tum superioribus diebus priuatim apud nos manifestißime declarauit: cū enim Pataujj esset, quò ex diutino grauiq; morbo conualescens, ualetudinis recuperandæ causa paulò antè cōcesserat: & ad eum uisendum, salutandumq; nonnulli senatorij ordinis uiri primarij conuenissent, inter quos Antonius Iustinianus, & Ioannes Baduarius, uiri ingenio doctrinaq; præstantes erant, quorum alter Aristoteli peripateticisq; mirifice erat affectus, illorumq; etiam placita aliquot annos Venetijs luculenter professus fuerat: alter uero Platonem ueterisq; Academiæ assertores in primis admirabatur & extollebat: post prima illa, ut ualerent, & quid noui esset, cæteraq; huiusmodi, quæ primis in congreßibus fieri dici'ue solent, cum iam factum esset silentium, & alterius ille sermonis ansam quæreret, ad Antonium conuersus, & Ioannem qui iuxtà sedebant: Quid uos, inquit, Antoni & Ioannes, quando philosophiæ ambo egregiam nauatis operam, talibus ingenijs, tantaq; eruditione illam secatis distrahitisq;, & ut seditiosi solent ciues, in partes (quod aiunt) coniunctam illius, & copulatā Rempublicam dißipatis, neq; unā potius ut est, eam esse permittitis? Audio enim uos sæpenumero uestris in congreßibus multum diuq; hac de re inuicem dißidere, & altercari solere, cum uterque uestrum, tanquam pro aris & focis, pro hæresi obluctetur & depugnet sua. An ignoratis Peripateticos ipsos, & Academicos ex eadem quasi fontis cuiusdam origine defluxisse, nominibusq; solum differre illos, cum rebus sententijsq; inter sese optime congruant, & uere concordent? Tum Antonius, Dicuntur, inquit, ista Bembe, dicuntur mehercule facilius quàm explicentur,

& an

& antiquorum nonnulli, ut audio, & recentiorum etiam aliquot, idipsum ostendere sunt conati, sed meo quidem iudicio, non minus ij quàm illi (ut in prouerbio est) oleum & operam perdiderunt. Nec immerito mehercule, quando eæ philosophorum sectæ pugnātibus inter se nixæ decretis, non in paucis quibusdam aut leuibus, sed in omnibus ferè, & maximis præsertim de rebus toto (ut aiunt) diametro inter sese distare, & dißidere uidētur. Et quæ tandem sunt ista, inquit ille, in quibus hæc pugnāt dogmata, & cōuenire non possunt? Et Antonius, An parua tibi, inquit, (ut hinc exordiar) non uerborum sed rerum potius uidetur esse dissensio in ijs, quæ statim de primis rerum initijs utriq; dicunt & sentiunt? Nostri enim quatuor rerum omnium esse uoluerunt principes causas, Materiam scilicet, Formam, Efficiēs, & Finem: illi autem his non contēti, alias insuper adiungunt duas, Instrumentalem nescio quam, & Exemplarē: rectè'ne, an secus, haudquaquam laboro. Non enim id indagare excutereq; in præsentia contendo: sed quòd diuersa loquantur & sentiant (ut facio) id nunc ostendere cogito. Mundum præterea nostri neque aliquando genitū, neque interiturum unquam pro certo cōfirmant: illi uero & à Deo fabrefactum esse illum, & quantum in ipso est, corrumpi posse autumant. Astra illi animo sensuq; prædita, & singularia quædam esse animalia dicūt. Nos uero neq; seorsum animata, neque sensibus insignita, sed cœli esse partes affirmamus. Animos præterea generat Plato, & ut sibi uidetur, ostendit illos esse perpetuos. Aristoteles uero neq; ullum animorū recēset ortum, neq; planè æternitatē declarat. Eosdē perenniter à se ipsis moueri cōtendit Plato: ab ijsdem uero omnē motionis abnegat modum Aristoteles.

Peripatetici & Academici in quibus dissentiāt.



Longum profecto esset, & prolixi operis, in quibus ij discrepant uiri, si recensere uellem omnia, de prouidentia, de fato, de dijs ipsis, de media dæmonũ natura, de inferis. Quamobrẽ temporis angustiæ parcens, & breuitati studens, præsertim cum te audire potius, quàm ipse dicere & disertare cupiam, pauca de multis, & hæc ipsa cursim quæ mihi ad manum uenerunt, nunc in medium attuli. Ex quibus tamen uel cæco (ut aiunt) manifestum esse potest, Academicos Peripateticos'ue neq; uerbis unquam, neque sententijs fuisse cõcordes. Tum ille subridens, ut sæpe solet, quàm accurate inquit, & quàm memoriter Antoni collegisti omnia, quæ Peripatetici Academiciq; nostri (utrosq; enim æque complector) cum litigare quàm conuenire malunt, hac de re in mediũ afferre solent. Quamobrem tu mihi haudquaquam aliud agẽs in præsentia, sed bene mehercule præmeditatus, aut certe ab ijs disceptationibus satis recens huc planè accessisse uideris. Verum quanquàm non tam dicendi mihi nunc, quàm audiẽdi habenda esset ratio: adestis enim hic duo philosophiæ lumina: quia tamen nonnulla habere me credo, quæ hoc in loco mediocriter adduci possent, quibus (nisi opinione fallor) uerborum solummodo, non rerum, ut dixi, inter illos uiros ostenditur esse dissensio, ea si uidetur, ut potero breuiter recensebo: nisi forte uos aliud quippiam huic sermoni præuertendum putatis. Et quid aliud, inquit Ioannes, non solum nobis, sed bonarũ etiam artium studiosis omnibus, quin potius uniuerso hominũ generi, uel maius à dijs immortalibus, uel optabilius contingere unquam posset, quàm inueniri quempiam, qui ceu honorarius arbiter, recto iudicij examine inter Platonẽ Aristotelemq; componere & posset & uellet. Verum prolixa admodum (ut

arbitror

arbitror) istiusmodi est res, plenáq; controuersæ dissensionis, & longæ uerborum ambages, pluresq; essent, ut probe innotesceret causa, explicariq; posset, comperendinationes faciendæ. Temporis autē breuitas, nedum ad omnia, quæ ad tantam pertinere controuersiam uidentur, explicanda non sufficit, sed neque ad ea, quæ modo dixit Antonius, quæ quota illorū est portio enarranda, satis cōmode se habere uidetur. Quamobrem non absurde meo quidem iudicio feceris, si aliquā ex prædictis seorsum ceperis quæstionem, illamq;, ut soles omnia, distincte luculenterq; pertractare cōtenderis. Vera narras mi Ioannes, inquit ille, & ego iam pridem largus pollicitator cogitabam quonam me coniecissem imprudens, unde non facile sanè ob temporis angustiam me expedire nunc possem. Verum quanam de re tu audire malles? De primis'ne rerum initijs? An de mundi genitura, & astrorum naturis, an potius de animorum æternitate? quicquid enim horum tibi sumpseris, ut id ordine explicari queat suo, integrum sibi nimirum exposcet diem. Quid enim aliud, inquit Ioannes, ex te audire nunc malim, quàm de quo mihi cum Antonio nostro non cōuenit, & pro quo plura sunt prælia decertata, & adhuc sub iudice lis est? Quid tandem isthuc est, inquit ille. Animorum, inquit Ioannes, æternitatem nescio an credat Antonius, certe totis contendit uiribus (quod etiam cum loqueretur animaduertere potuisti) non esse illam à Platone nostro sufficiēter ualideq; demonstratam. Hac de re hodie, nisi quid aliud forte cogitas, disserentem te audire percuperem, quando & Academica (ut audio) cum Peripateticis probe coniunxisti, & professioni alioqui hoc tuæ maxime consentaneum existat: extinctis enim aliquo interitu animis,

omnem funditus tolli religionem est necesse. Tum ille, Faciam, inquit, ut lubet, quando & sponte mea id sum pollicitus prius, & tibi nunc rem gratam facturũ me esse percipio. Verũ quid noster Antonius ait? Et Antonius, Præuertit me, inquit, hac in re Ioannes meus: id ipsum enim abs te, si tacuisset ille, expostulaturus eram. Rem igitur mihi gratißimam feceris, si Platonicas de animorum immortalitate rationes docentis more uniuersas explicaueris, eas præsertim, quæ scribuntur in Phædro, quæ mihi cum obscuræ alioqui & breues, tum haudquaquam (ut dixi) quod uolunt ostendentes, non immerito uideri solent. Quasdam enim animis adscribunt motiones, quibus sublatis, uel non conceßis, uniuersa animorum concidat æternitas necesse est. Tum ille, Demõstrãt, inquit, Antoni, & mirifice sanè demonstrant animorũ æternitatẽ rationes Platonicæ: quòd autem breuiter & subobscure fortasse id faciant, non eo inficias: res enim de qua agitur multis obstructa est difficultatibus, & antiquorum (ut scis) fuit iste mos, res arduas & graues menti potius insignire uelle, quàm auribus inculcare. Verum licet pluribus in commentarijs suis idem hoc facere animaduertatur Plato: de animorum enim immortalitate & in libris de Repub. loquitur, & in Timæo, & Phædone non minus disserit: nonnullaq́; etiam hac de re in epistolis ab eo sunt consperssa: hoc tamẽ in loco, quẽ à me tibi explicari nunc expetis, peculiariter ex ipsius essentia animi, & ex ijs quæ illi per se inesse censentur, illius à Platone demonstratur æternitas: cuius ego inhærens uestigijs, quandoquidem hoc me subire oneris uoluistis, & ego libens idipsum recepi, hanc totam rem pro uirili eo concludam modo, qui & facilior mihi, & ad nostrum disputandi

usum

usum accommodatior esse uidebitur: uerum meminisse uos uelim, quando ad hoc de animorum æternitate Platoni=cum conuiuium, neque inuitati (ut aiunt) neque oblati ac=cessistis hospites, sed ultro uos ingessistis, si non ex digni=tate uestra, si non opipare & laute, sed ieiune & tenui=ter accepti fueritis, ut non mihi succensere potius, quàm uobismet imputare uelitis. Ardua enim res est, plenaq́; im mensæ subtilitatis de qua est agendum, & ad quam non il lotis (ut aiunt) manibus proculdubio esset accedendum. Quamobrem feretis me, inquit, & æquo etiam animo pa=tiemini, si uerbis interdum uti cogar nouis, nonnunquàm etiam si externis, cum clarius quippiam nobis illa aut si=gnificantius, quàm nostra exprimere uidebuntur: non usi=tato enim admodum calle nostra progredietur oratio: & ideo omnibus undiq; fulcienda adiuuandaq́; est adminicu=lis. Vt lubet, inquit Ioannes, modo rem ipsam intelliga=mus. Non enim ij sumus, qui uerborum splendorem, & fucum potius, quàm res ipsas quærere curemus: perge mo do. Propositum igitur, inquit ille, nostrum, quando uobis ita uidetur, deo cœptis fauente, hoc aggrediamur modo. Constitutum nobis est in præsentia Platonicis rationibus animorum immortalitatem ostendere, illorumq́; cum diui=nam excellentemq́;, tum æternam & incorruptibilem de=clarare naturam. isthuc autem non incõmode me facturum planè confido, si prius quidem quot sint corruptionis & interitus modi in medium afferam, doceamq́; deinceps nul lo illorum modo animos posse corrumpi. Si enim hoc ita continget, ut arbitror, animorum certe æternitatem omni ab illis sublato interitu, proculdubio à me hodie demon=stratam esse iudicabo. Ita'ne uobis uidetur Antoni & Io=annes? an aliter esse censetis? Nobis profectò, inquit An=

Animorum immortalitatem Platonicis rationibus probat.

tonius,(ut pro Ioanne etiam respondeam meo) haud aliter uideri potest: quod enim corrumpi & interire nequit, id perpetuo manere et uiuere necesse est: quam ob rem idipsum monstrato modo: hoc enim opus, hic labor est. Tum ille, Probe, inquit, existimatis, quamobrem sic uideamus.

Corruptionis duplex modus

Quod corrumpitur omne bifariam sanè corrumpi & interire percipitur: aut enim ipsum à se ipso, ob materiam in sese existentem, corrumpitur: aut extrinsecus ab alio quopiam interimitur. Verbi gratia: lignũ aut sponte corrumpitur sua solitarium iacens, putredine scilicet teredinibusq; consumptũ: in seipso enim sui gestat interitus causam, materiã uidelicet, quemadmodum in suis de Repub. commentarijs scribit Plato, asserens quæcunq; sponte sua intereũt, omnia à domestico quodam & interno corrumpi uitio: aut rursum extrinsecus lignum corrumpitur, ut cum ab igne comburitur, seu à dolabræ acie cõminuitur, siue secatur à serra. Valens enim sui natura etiã num perstare, externa interit iniuria. Quoniã igitur (ut uidimus) duo sunt uniuersales corruptionis modi, geminæ iccirco à Platone nostro in Phædro de animorum immortalitate afferuntur rationes, duorum ui & potestate syllogismorum necessario collectæ: quarum altera quidem à semetipso animum destrui non posse demonstrat, quando seipsum mouet animus, et ideo mouetur semper. Altera uero, quòd neque ab alio perimi potest animus clare ostendit, quando alijs omnibus ipse motionis cuiusq; est initium & origo. Cæterum ad clariorem non minus dictorum, quàm mox dicendorum intelligentiam, fortasse non erit malum, syllogismos utrosq; cum suis seriatim recensere propositionibus, ut uniuersa isthæc explicata materia ueluti sub oculis posita, nullo posthac negotio percipiatur. Prioris igitur

rationis hæc planè est series: Animus à seipso mouetur: quod à seipso mouetur, semper mouetur: quod semper mo uetur, est immortale: animus igitur immortalis est. Hæc, ut diximus, ratio nobis sanè ostendit, à se ipso animum non posse corrumpi. Secundæ autem processus ratiocinationis hoc maxime constat modo: Animus seipsum mouet: quod seipsum mouet, motionis est principium: quod est principium motionis, est ingenitum: quod est ingenitum, est incorruptibile: quod est incorruptibile, est immortale: animus igitur est immortalis. Hæc autem (ut dictum est) ratio peculiariter animorum immortalitatem ostẽdit, ideo, quia à nullo extrinsecus alio destrui corrũpi'ue potest animus. Et hæc profecto duæ sunt illæ rationes, quæ de animorum æternitate a Platone in Phædro sunt adductæ, quas tu Antoni, cum breues admodum & concisas, tum difficiles & subobscuras tibi uideri dixisti: quæ licet sint duæ, alia (ut diximus) atque alia animorum immortalitatem ostendentes uia: quia tamen inter se aptæ quodammodo, & bene connexæ sunt, unica uideri utrinque sumpta potest ratio. Neque immerito mehercule: quod enim à seipso non destruitur, neque ab alio etiam quopiam destrui & corrumpi potest: nam cum in semet sui causam gerat perennitatis & salutis, quonam modo ab alio destrui & corrumpi ualeat, uix bene fingi potest: quandoquidem sibi semper adest, & saluum se esse uult. huiusmodi autem est (ut ostendetur postea) id quod à seipso mouetur. Et rursum quod ab alio non corrumpitur, sed principium est, & causa potius ut alia conseruentur, & uiuant omnia, ut id à seipso destrui corrumpi'ue possit, haudquaquã possibile esse uidetur, quale motionis ostendetur esse principiũ, cum præsertim neq; à superioribus illud corrumpi causis uerisimile sit,

Syllogismi duo Platonici.

le ſit, à quibus conſeruatur & fouetur magis: neque ab iis quæ infrà ſunt, cum ipſum eſſentiæ illis initium exiſtat & cauſſa, omnibusq; ſui præſentia motionem largiatur & uitam. Si autem à nullo corrumpitur, quonam modo rurſum ſeipſum corrumpat & deſtruat, iugis omnibus fons exiſtens & origo uitæ, reperire nedum difficile, ſed impoßibile eſſe uidetur. Recurrunt igitur in ſeſe rationes (ut diximus) iſtæ, quæ licet idem probare concluderéque animaduertuntur ambo, peculiari tamen & propria quadam uia utraq; id facere contendit. Sed neſcio quomodo dum de complicatis connexisq; rationibus iſtis loquimur, noſtra labens ſenſim prætergreſſa eſt oratio, multáq; fluxu rapuit & inuoluit ſuo, quæ alioqui non mediocri explicationis indigēt cura. Inhibeamus igitur, ſi placet, paulisper, & unde egreßi ſumus, eò redeamus, ut ordine quæque ſuo & explicentur accuratius, & melius intelligi, percipiq; poßint. In ſuperioribus (ſi recte animaduertiſtis) rationibus cōmunis quædam duobus ſyllogiſmis ſumpta eſt propoſitio. iſta uidelicet, Animus ſe ipſum mouet, ſiue à ſeipſo mouetur: nihil enim refert (ut arbitror) utro dicatur modo, cum utrobique propoſitionis diuerſimode prolatæ eadem ſit uis & poteſtas: quod enim ſeipſum mouet, à ſeipſo mouetur: & idem etiam rationis propoſitione tranſpoſita probe recurrit modus. Hanc igitur in primis propoſitionē pro uirili explicare conemur: & de natura ſe ipſam mouente, quæ in iis quæ mouentur primaria ſanè eſſe cenſetur, diligēter perquiramus, quam magni certe nominis uiri, & in primis philoſophus Ariſtoteles infirmare & deſtruere ſunt conati. Simul enim propoſitum recte agemus noſtrum, & inter primarios philoſophos Platonem & Ariſtotelem obiter etiam com

ponere

ponere poterimus, qui mea quidem ſententia (ut ſæpe di-
ctum eſt) & in alijs ferè omnibus, quibus diſsidere uidentur, & in hac præcipua re, de qua uerbo tenus litigant, ſententia ipſa rectoq; rationis intellectu bene cõueniunt, & cõcordant. Cum enim omnes corporeas ab animis motiones ſeiungat Ariſtoteles, & iccirco neque ſemper moueri, ſed neq; moueri omnino illos aſſerat, haudquaquam merito, apud eos, qui hanc rem rite perpendere uolunt, Platonem taxare poteſt: qui aliam eſſe animorum, aliam corporum aſſerit motionem: & proprijs peculiaribusq; utraq; hæc moueri affirmat motibus. In decimo enim de legibus commentario iſthæc ad uerbum memoriæ prodidit Plato: Trahit quidem animus cœleſtia omnia, & terrena inſuper, & ea quæ in mari ſunt, ſuiſmet motionibus, quarum iſta ſunt nomina, Velle, conſiderare, curare, conſulere, opinari ſiue recte, ſeu perperam, gaudentem, confidentem, dolentem, timentem, amantem, peroſum. Ex quibus uel cæco (ut aiunt) eſt manifeſtum alias motionis eſſe ſpecies, quas animis aſsignat Plato, & alias quas ab eiſdem Ariſtoteles remouet, & in uerbis ſolum hac de re inter præceptorem & diſcipulum omnem eſſe controuerſiam. Quod enim Ariſtoteles animi affectiones, ſiue ægritudines, ſeu paſsiones appellat, id motiones uocat Plato, cum uterque tamen corporeos motus ab animorum eſſentia cenſeat alienos. Neque hoc immerito equidem: quod enim indiuiſibili & continuæ cõuenit endelechiæ, indiuiduæ animorum eſſentiæ quî conuenire poteſt? Verum hæc (ut dixi) pro talium concordia philoſophorum à nobis obiter in præſentia ſint adducta: quamobrem ad noſtrum redeamus propoſitum, probemusq; pro uirili aliquod motionis initium in rebus neceſſario reperiri, idq; ipſum naturam

turam esse, quæ seipsam mouet. Hoc autem præcipue aggrediamur modo. Cùm planè cõstet perspicuumq; sit, esse in natura aliquid quod ab alio manifeste moueatur, quærendũ sanè est, utrum'ne id quod mouet, moueat & ipsum ab alio motum, & illud rursum ab alio etiam motum moueat, & sic ad infinitum: aut circulo illa quæ mouẽtur ab alio, se inuicem mouent, & à se mouentur, ita quod primum semper moueatur ab ultimo: aut est tandem ad primum uenire quiddam quod seipsum mouens, & alia, à nullo extrinsecus alio moueatur. Neque alius quisquam à supradictis eorũ quæ mouentur omnino reperiri potest modus. Cæterum cum duo illi priores motorum modi ratione penitus careant, quoniam neque infinitas, ut ita dicatur, in essentijs reperitur ulla, infinitorumq; ratio sub scientia cadere nulla potest: & circularis ille à se inuicem cum mouentium, tum motorum contextus uniuersi ordinem destruit, cum idem eiusdem causam faciat & causatum, ut merito explodantur illa, ad quiddam sanè motionis peruenire principium necesse est, quod iugi perenniq; uitæ actu cuncta post se mouet & temperat: quod esse animum & Plato proculdubio, & Aristoteles uoluerunt, licet is immobilem illum esse asserat. Plato autẽ naturam seipsam mouentem, eo quo diximus modo constanter asseueret. Cæterum si commutentur nomina, & seipsum mouentis loco, seipsum perficiens reponatur, aut seipso uiuens, & in seipsum agens & patiens, omnia profecto Aristoteli & Platoni quàm optime quadrare uidebũtur. Intellectus siquidem, quem animi supremum ambo esse uolunt caput, & seipsum intelligit, quando eius essentia illius est actio, & seipsum perficit: & licet impropriè, per transumptionem tamen in seipsum & agere & pati non inconcinne

dicitur

dicitur: ſed quoniam paulò pòſt hac ipſa de re ſuo dicetur loco, iccirco reprimam me nunc, & non proſequar longius. Conſtitutum igitur cum ſit in præſentia, & de philoſophorum conſenſu utrorumq; ſanè compertum & declaratũ, motionum omnium principium & fontem eſſe animum, quòd is ſeipſum moueat, & à ſeipſo moueatur, hoc deinceps uideamus modo. In uniuerſa entium omnium latitudine à contrario in contrarium nuſquam niſi per medium commeat pertranſitq́; natura, hoc enim modo à calore in frigus intercedente permeat tempore: & ab albo in nigrum fuſco interueniente tranſmittit: ab oppoſitisq́; ſemper qualitatibus ad oppoſitas per illarum graditur media: quod in anni etiam temporibus eſt uidere: ab æſtate enim ad hyemem, & ab hyeme rurſus ad æſtatis tempora natura, hic interiecto uere, illic autumno progreditur medio: & ad ſummã tum in corporibus ipſis, tum in natura etiam incorporea omnes à contrario in cõtrarium tranſitus peculiaribus proculdubio fieri medijs animaduertuntur. Simili igitur rationis modo in propoſito etiam fieri noſtro eſt neceſſe. Cum enim in entium reperiatur genere id quod ab alio ſolum eſt motum, & rurſum id quod penitus eſt immobile, interſtitio ſanè reponi in medio neceſſe eſt id quod tum mouet, tum mouetur, quod à ſeipſo moueri dicimus, unum inquam & idem numero exiſtens & ſubiecto, mouens & motum, ut obiter Ariſtotelem & peripateticos caueamus, qui animal huiuſmodi eſſe per ſe & à ſe motum autumant. Non enim idem numero & ſubiecto in ipſo animali mouetur & mouet quippiam, ſed anima quidem ſolum mouet (ut illis ſanè placet) corpus uerò mouetur ſolummodo. Non igitur ſeipſum mouere proprie dicetur animal, cum iſthæc ipſa

propr

proprietas in simplici solitariaq; natura, quod retro diximus, in eodem numero & subiecto reperiri debeat, quæ media ut uidimus, reperta est inter immobilem penitus naturam, & illam quæ solum mouetur ab alio. Et alioqui cum ipsum animal, ut Aristoteli adscribunt, ex immobili quadam natura, anima scilicet, & ab alio mobili, corpore uidelicet, planè sit compositum & conflatum, non potest id quod in præsentia quærimus esse seipsum scilicet mouens & agitans, cum neque anima secundum illum penitus moueatur, neque corpus quippiam moueat: seipsum autem mouens, ut Græcum bene indicat nomen αὐτοκίνητον, idem numero, & subiecto existens, tum mouet se, tum à semet mouetur. Quamuis (ut sæpe dictum est) si recto iudicij examine rem hanc bene perpendere uellemus, naturam profecto se ipsam mouentem, de Aristotelis sententia, ipsum esse animum non iniuria contendere possemus. Scribit enim is uir in Physicis suis ijs ferè uerbis: Quòd si opus fuerit determinare utrum nam sit motionis initium & causa, seipsum mouens uidelicet, an id quod ab alio mouetur, illud profecto sine controuersia omnes dabunt: principium autem motionis omnium animum esse apud philosophum Aristotelem clarius est quàm ut aliquo ostensionis egeat adminiculo. Præterea cum animatum omne ab inanimi ipsa sit disterminatum distinctumq; uita, uiuere autem nihil aliud sit quàm intrinsecus ab anima per illius altricem agitari potestatem, quam in suis de Anima commentarijs, motionem tum ad nutrimentum, tum ad augmenta & decrementa philosophus uocat Aristoteles, cur non de illius etiam sententia à seipso mobilis, id est, αὐτοκίνητος, iure dicetur animus, qui sua se sponte excitat, & corpus ita agitat

& imp

& impellit? Verum hæc in præsentia obiter sint transcursa. Cæterũ quoniam cõplures hac de re huc usq; & uariæ in medium sunt adductæ rationes, nõnullaq; etiam interiecta, quæ etsi ad propositum faciunt negotium, interpellata tamen dicendi serie, obscuriorem fortasse, quàm desideramus, orationem effecerunt nostram, si uolentibus uobis facere me crederem, breuiter quæ dicta sunt colligerem omnia, ut & uniuersa, de qua agitur, res melius innotesceret, & sub uno statim contuitu apte teneretur. Sub hæc dicta cũ reticuisset ille, ceu quid sibi mandaretur expectans, Antoniusq; & Ioannes isthuc summe se cupere dixissent, rursum hoc exorsus est modo: Initio esse quoddam Antoni & Ioannes, originemq; motionum omnium (ut animaduertistis) necessaria diuisione collegimus, idq; ipsum esse animum Platonis Aristotelisq; consensu planè dijudicauimus: porrò eum in interstitio collocatum medio perspeximus naturæ penitus immobilis & illius quæ solum mouetur ab alio: quamobrem non immerito diximus motionum omnium animum esse principium: & qui seipsum moueret, & à semet moueretur: quod Græci unico exprimentes uocabulo, apte & significanter αὐτοκίνητον appellant: inde etiam ad quotidianum loquendi usum res ista peruenisse uidetur. Animatum enim omne id appellat uulgus, quod à seipso moueri, id est, intrinsecus agitari, percipiunt: ceu animæ sit ista uis & potestas seipsam prius, & corpus deinceps mouendi. Quemadmodum enim in entiũ, quæ intelligunt, ordine quiddam est quod ab alio intelligendi accipit munus, ueluti de Aristotelis sententia mens illa est quam potestate intellectum uocat ille, aliud autem à seipso intellectionem habet quam impertit alteri, ipsum autem cum omnimodæ sit fons & origo intellectionis, &

alia ſanè omnia & ſeipſum non minus intelligit, ut illa eſt mens quam actu intellectum Peripatetici appellant: Ita in ijs quæ mouentur, hæc quidem ab alijs ſolum agitari moueriq; percipiuntur, ut corpora ſunt omnia: illa uero & alijs motum præſtant omnibus, & ſe ipſa mouere nata ſunt, quales eſſe animos retro (ut arbitror) manifeſte ſatis eſt demonſtratum. Hæc igitur diuina animorum eſt natura, iugi ſeipſam motione ſemper agitans, quam in ſuis de legibus commentarijs diuinus ille Plato primum omnium motionum initium, & unicam eſſe cauſam præclare demonſtrat: nam & efficiens motionis eſt cauſa, & exemplaris, & finalis, quæ propriæ ueræ'que entium ſunt cauſæ. Formalis enim ſiue ſpecifica cum in producta facta'que reperiatur re, imò res ipſa ſit iam effecta, cauſatum potius quàm cauſa merito exiſtimari poteſt. Materia autem longius etiam à uera cauſæ diſtat ratione, cum in earum reponatur numero cauſarum quæ à philoſophantibus, ſine quibus non, appellari conſueuerunt. Quamobrem in ijſdem de legibus commentarijs diuinus Plato omnium eſſe cauſam motionum naturam ſeipſam mouentem alia etiam oſtendere uolens uia, Si omnia, inquit, quæ mouentur ſtarent, quid nam eſſet id quod primo moueretur? An illud ſanè quod ſua ſponte & à ſeipſo mouetur? Neque hoc ab re. Si enim id quod motrici propè ſit cauſæ, manifeſto moueri uidemus, omnibus quæ alieno mouentur impulſu quieſcentibus, profecto hæc ipſa ſe mouens natura cum in ſe motricem gerat poteſtatem, illiq; non ſolum fiat propior, ſed uniatur etiam & copuletur, quin imò omnem eſſentiæ ſuæ inde capiat rationem, & prima mouebitur utique, & alia motu ſuo

moue

mouebit omnia. Ambigimus autem nos hac de re, & non facile rationi obtemperamus, quia corporeis emancipati sensibus, & illorum iudicantes arbitrio, mētis obtusos & hebetes oculos habemus. Quemadmodum enim si quispiam aut loci uitio, sicut de Cimmeriorū dicitur populis, aut casu etiam aliquo, solis nunquam conspexisset iubar, diei tamen cerneret claritatem, is merito mehercule dubitaret, disquireretq́;, quæ nā tam immensi splendoris existeret causa. Ita quia animum ipsum non cernit uulgus, & ab oculorum consuetudine difficulter se abdicat, motionis illum esse principium, & à seipso moueri non immerito ambigere animaduertitur. Qui tamen cum alia moueat omnia, multo prius seipsum mouere uerisimile est, haud dißimili mehercule commemorati solis exemplo, qui alia illustrans omnia, multo prius se ipsum splendidißimo uegetat, & replet lumine. Vnumquodque enim à se ipso (ut recte physici dicunt) perfecta actionum suarum semper orditur initia. Verumenimuero cum sit constitutum, & satis (ut arbitror) ex dictis ostensum, motionum omnium initium esse animum, & quòd is se ipsum sponte mouet sua, & à seipso mouetur, facilior profecto post hoc, & longe clarior Platonicæ deductio rationis existet, per quā illius demonstratur æternitas: quod enim à se ipso mouetur cum semper sibi adsit, & nusquam se deserat, absistatq́; nusquam, semper moueri necesse est. Si enim quæ mouentur ab alio, eo usque moueri animaduertuntur, quoad usq; motori adhærent & appropinquant suo, quid illi consentaneum est accidere naturæ, quæ non tantum coniunctam, sed unitam etiam & consubstantialem (ut ita dicam) sibi habet motricem uim? nihil aliud profecto nisi perēniter illam & semper agitari et moueri.

Animi enim motio finem ideo nunquàm est habitura, quia nunquam se ipse diserturus est animus: quod autem finem non habet, semper est: agitetur igitur animus semper necesse est. Ex quo deinceps illius certißima ratione colligitur æternitas. Animi nãq; motus illius est uita, cum in ipso principium et origo omnis reperiatur uitæ. Cæterum hoc in loco obiter uos admonitos uoluerim, hanc philosophi rationem non ex probabilibus, quæ fidem solum faciant, procedere rationibus, sed certißimæ necessitatem in se demonstrationis habere. Ex primis enim & per se, & in se inuicem recurrentibus, quæ conuertibilia iuniores uocant philosophi, manifestißime deducitur, ex quibus omnis sanè conflatur scientiæ modus. Quod enim principium est motus, seipsum mouet, & semper mouet: & quod se ipsum mouet, tum semper mouet, tum motionis est principium uniuersæ. Et rursum, quod incessanter mouet, & se ipsum mouet, & omnibus alijs prima motionis præstat initia. Sed alia etiam uia isthuc ipsum ostendi demonstrariq; hoc maxime potest modo: Id quod præstare ualet excellentius quippiam aliquo in genere & dignius, idem profecto eodem in genere inferius uiliusq; aliquid facile præstare poterit: excellentius autem sine controuersia est & dignius, bene esse, quàm ipsum simplex esse: id autẽ sibi ipsi præstat animus, quando se excolit & perficit, & à corporis se contagio seuocat & abducit. Præstabit igitur sibi & ipsum esse: animi autem esse illius est uita: Vita uero nihil aliud esse censetur, nisi perennis quædam iugisq; motio: sibi ipsi igitur motum præstabit, & à seipso mouebitur animus. Quamobrem hoc etiam modo ex incessanti illius motu animi apparebit æternitas. Nec immerito mehercule: diuina enim omnia, & quæ aliquid primo alijs præstare imp

re impertiriq; uidentur, à semet incipere, & exordiri necesse est: quod uel claro diurni syderis exemplo nobis clarere potest: sol nanq; cuncta lumine collustrans suo, ipsum certe est lumen, splendorisq; fons, et origo uniuersi. Quãobrem cum cæteris omnibus uitam & motum præstet animus, illius enim gratia Aristoteles αὐτοκίνητον, id est, à seipso motum appellat animal, multo profecto magis & prius sibijpsi & uitam præstare & motionem necesse est. Semper igitur mouetur animus, & deficit nũquam. Quæcunque autem externo agitantur impulsu, cum in seipsis motricem illam non habeant uim, aliquando motũ ab alio recipientia, quandoque etiam illum amittere est necesse. Cessante autem illo, cessat uita, inquit Plato: motum enim animi, illius (ut diximus) intelligi uult uitam. Cæterum hoc in loco de cœli corpore non contemnenda sanè oritur difficultas. Si enim, quoniam semper mouetur, à semet illud moueri concesserimus, nõ solum animo, sed corpori etiam principiũ et originem dabimus motionis: quod fieri haudquaquam potest, ut unius scilicet rei duo prima reperiantur exordia. Si autem ἑτεροκίνητον, id est, alterius impulsu agitatum illud esse dixerimus, de Platonis sententia aliquando à motu esse cessaturum illud, & interiturum quandoque concedere cogemur: quod, exceptis paucis, philosophantium concedit nemo. Vtrinque igitur (ut percipitis) nos urgent angustiæ, & in salebris (ut aiunt) nostra uersatur oratio: quamobrem complananda mihi ueritatis est uia, hocq; pro uirili in primis est explicandum, simul'que Platonis dicto in præsentia moderandum. Hoc autem maxime aggrediamur modo. Id quod à se mouetur, quod αὐτοκίνητον Græci uocant (nihil enim prohibet, ut opinor, breuitatis perspicuitatisq; causa isthuc sæ-

pius uſurpare uocabulum) in duplici percipitur eſſe differentia: aut enim ſimplex eſt, nulli obnoxium diuiſioni, & omni prorſus carens parte, & huiuſmodi proprie & eſt, & dicitur αὐτοκίνητον, qualis eſt animus: aut eſt interuallis quibuſdam, quas dimenſiones uocant, iam diſtinctum, & corpoream habens molem, quod licet improprie αὐτοκίνητον, tamen & ipſum appellatur, cuiuſmodi eſſe cœlum animaduertitur: quod quia corpus eſt, & ideo à motionis totius fonte diſtat animo, ἑτεροκίνητον merito dici poteſt: quoniam autem in corporum genere primum eſt, materiaq́; caret tranſmutabili, & connatam in eſſentia ſua gerit uitam, à qua deſeritur nunquàm, unde etiam perpetuo mouetur, iccirco ad illius ſimilitudinem, quod proprie tale eſt, αὐτοκίνητον nõ ab re appellari poteſt. Eſt igitur cœlum media quædã inter id quod uere à ſe mouetur, & id quod proprie mouetur ab alio, collocata conſtituta'que natura, utriuſque particeps rei, & utrorum'que, licet improprie, ſortita tamen, ut dictum eſt, nomen: neque enim αὐτοκίνητον per ſe, neq; ἑτεροκίνητον proprie cœli eſt corpus, cũ & moueatur ab animo, & inceſſabili ſemper motione uerſetur. Cæterum haudquaquam immerito hoc illi contingere uidetur: ſemper enim ſecundarum ſummitates & apices rerum, ut uniuerſi ſeruetur continuitas, omniaq́; conuenientibus repleantur medijs, & primorum copulantur extremis, & illorũ non nihil ſapere naturæ perhibentur. Cum igitur primum in corporum genere ſit cœlum, ultimum autem intelligibilis naturæ ſit animus, complicari copulari'que iſthæc, & ſimilitudinem conuenientiam'que ad ſe inuicem habere quandam neceſſe eſt: quamobrem æthereum corpus, ſi ueluti anima quædam, & uita extenſa quodammodo, & in molem diſpertita à ſe

moue

moueri, & indesinenter perpetuoq; agitari dicatur, non perperam profecto falsó que dicetur: connatam enim (ut diximus) & ceu commixtam in essentia sua gerit uitam, à qua cum deseratur nusquàm, perpetua iccirco motione uersatur. Cæterum alia hoc in loco ex ijs quæ dicta sunt oritur difficultas. Sunt enim qui nobis dant, & id quidem libenter, à se ipso moueri semperq; agitari animum: addunt tamen id illi contingere donec fuerit, uerum nihil prohibere eum quandoque extingui et interire. Quos non ab re percontandos in præsentia ducimus, utrum'ne cum interit (ut uolunt) animus, illius antè cessat actio, quam ἀυτοκινησίαν Græci, nos iugem sui ipsius motionem dicemus, postmodum uero ipsius deficit essentia: aut è cõtrario, prius ipsa desinit essentia, postea uero perennis illa interit motio: an simul essentia deficit, & motio: præter enim treis istos alius profecto inueniri non potest modus. Cæterum cum neque essentia ante actum possit desinere, ab illa nanque omnis fluit operatio & motus, pariq; modo, neque actus ipse ante eßentiam destrui corrumpiq; poßit: constitutum enim conceßumq; ab illis est, donec perstat animus, perpetuo illum à semetipso moueri. Tertium necessario concedendum, in animi scilicet interitu ambo simul desinere, essentiam uidelicet & actionem: aut quod idem ualet, esse ipsius, & eius motionem. Rursum igitur hoc ita constituto, absentes aduersarios, ac si adessent, isto interrogemus modo: quandoquidem uultis ô uiri, imò concedere nunc coacti estis, animum interire, quia simul (ut dictauit ratio) & essentia deficit, et motio: à quonam huiusmodi accidere illi dicemus interitum? Profecto aut à se destruatur animus, aut ab alio extrinsecus interimatur necesse est: quod in superioribus cla

rißimo ligni docuimus exemplo: neque ſanè eſt dare tertium illius interitus modum. Cæterum tantum abeſt ut ſeipſum interimat corrumpat'que animus, ut ſe perenni illo, & ut ita dicam, eſſentiali ſaluet potius & cuſtodiat motu, uitam'que iugiter foueat ſuam. Simplex præterea animi eſt natura, neque habet in ſe quicquam admixtum, quod diſpar ſit ſui atque dißimile. Quamobrem neque diuidi uſquam, neque interire poteſt: quod quia naturæ ſecus accidit corporeæ, iccirco à ſe ipſa fathiſcere illam aliquando & dißipari neceſſe eſt. Sed neque extrinſecus ab alio quopiam interimetur animus, alioqui non αὐτοκίνητος eſſet ille, ſed ἑτεροκίνητος, cum externa ingruente ui ad interitum compellatur, contra id quod poſitum à uobis conceſſumq; retro fuerat, animum ſcilicet dum animus eſt, & à ſe ipſo moueri, et inceſſanter moueri. Præterea ſi ab alio deſtruitur animus, aut à ſuperioribus longeq; ſe dignioribus deſtruetur cauſis: aut ab infra ſe poſitis, ignobilioribus'ue. Atqui ſuperiores omnes ſupra animum collocatæ ſtantes'que cauſæ illum perficiunt potius, & ſaluum uolunt. Diuina enim huiuſmodi ſanè ſunt omnia, haudquaquam inuida, & bonorum ſuorum large munifica, redundantiq; ſalutaria bonitate: inferiores uero hoc efficere nequeunt cauſæ, cum illi obſequantur & pareant magis, & ab illo ceu à perenni quodam fontis exordio ſuarum auſpicentur initia motionum. Non igitur à ſemetipſo, ſed neque ab alio quopiam (ut oſtenſum eſt) deſtrui poteſt animus: quamobrem immortalem illum proculdubio & incorruptibilem ſemper manere neceſſe eſt. Eſt & alia ſubtilis mehercule & de naturæ penetralibus eruta ratio, id ipſum hoc efficiens & cogens modo. Cum enim corruptionis totius & omnis interitus (quemadmo-

dum

dum in physicis philosophus docet Aristoteles) priuatio existat causa, id certe quod isthuc non admittit incommodum, nulli unquam patere corruptioni necesse est: porrò neq; forma ipsa, quam & speciem uocant, neq; quod suapte natura formæ est particeps, priuationem in se recipere ullam animaduertuntur: illa quidem merito, quoniã nihil suum admittit recipitq; contrarium: formæ autem contraria est priuatio. Hoc uero ideo, quia dum est, connatam semper habet suæ formæ præsentiam, quamobrem cõtrariam recipere priuationem haudquaquam potest. Ignis enim quia congenitam habet caliditatẽ, iccirco frigiditatẽ admittere nullam potest. Cum autem animus quædam sit forma & species priuatione semper carens, omni prorsus carebit interitu. Neq; hoc ab re mehercule, quod enim corrumpitur, omne ideo corrumpi & interire censetur, quia naturam in se habet quandam, quæ aduentitias & externas (ut ita dicam) formarum admittit impreßiones, & iccirco cõtraria facile recipit omnia, quinimo ceu idipsum habeat muneris, in ijs alternare per uices uariariq; nata est: qua quoniam caret animus, ideo omni prorsus carere interitu est necesse. Habet autem substantia illa, quam compositam physici uocant essentiam, ab ea de qua loquimur natura, quam hylen Græci, nos recto materiam appellamus uocabulo, indefinitum quicquid habet omne, & inconstans, & lubricum. Continuæ nanque mutationi & corruptioni materiale obnoxium est omne, nunquam eodem consistens gradu, sed semper Protei modo labens & præterfluens: & fiens uerius quàm factum: & quod generari potius dicatur, quàm uere existere. Siquidem momentaneum solummodo habet esse, cum utrinq; non esse liquidò habere percipiatur; antè quidẽ quia generabile est, re- ὕλη.

tro autem quia est corruptibile. Ab huiusmodi igitur materiæ natura composita tot incommoda patitur essentia: à forma autem, siue specie, & ipsum habet esse, & determinatam essendi possidet rationem: & omnino quod perfectum quiddam in entium est genere, & quod existit huiusmodi quale esse percipitur, omnia illi merito refert accepta. Ex quibus omnibus clare (ut arbitror) animorum patet æternitas: & rationis explanatio prioris Platonici syllogismi etiam est manifesta, quo in superioribus dixeramus, animi immortalitatem ea scilicet ostendi uia, quoniam à semetipso destrui corrumpiq; non potest animus. Secunda autem ratio per quam eadem animorum, licet modo alio, ostenditur immortalitas, unicam in se ancipitem recipit propositionem, eam scilicet quæ dicit, motionis ingenitum esse principium: nanque aliæ tum communes sunt, & in superiori explicatæ ratione, tum autem non solum à Platone, sed ab Aristotele etiam & Peripateticis comprobatæ: quamobrem dimissis illis, hanc ipsam, de qua ambigere quispiam posset, diligenter in præsentia excutiamus. Sunt enim qui dicant ingenitum esse, non omni conuenire principio. Nam nihil prohibere quippiam alicuius esse principium, non tamen id esse ingenitũ: & exemplo etiam se iuuant, Ecce, inquiunt, Aeacidarum principium est Aeacus, & tamen is generatione non caret: ad infirmandam autem destruendamq; propositionis communitatem, unicam aiunt sufficere adductam instantiam. Iis igitur occurrentes, dicimus principium, quantum ad propositam spectat rem, illud certe esse, quod primo uniuersam illius, cuius dicitur esse principiũ, producit speciẽ: uerbi causa, ipse homo, quod αὐτάνθρωπον Græci, nos hominis ideam, siue speciem, seu exemplar dicimus,

omnes

omnes ubique potestate sua producit homines. Similí'que modo ipsum æquale, omnes in omni génere efficit æqualitates, & αὐτοκίνητον omnes motionum omnium producit rationes. Huiusmodi autem ingenita esse principia est necesse, eo scilicet modo, quo animaduertuntur esse principia. Nihil enim prohibet eadem ut intelligibilia sunt, uerbi causa, aut intelligentia, aut entia, ab alijs sanè prouenire principijs: uerum eo rationis modo principia non existũt, sed ab alijs defluunt emanantq́; principijs. Principium igitur omne, ut est huiusmodi, ingenitum proculdubio esse necesse est. Non enim fit principium eorum quippiam quorum principium dicitur: uerbi gratia, intellectus principium intellectionis existens, nõ aliunde, sed à semetipso intellectionem habere cẽsetur. Ens ipsum aliorum omniũ essendi causa & origo, non ab alio, sed à seipso essentiam possidet: ipse sol uniuersi fons & principium luminis, nusquàm id accipit quod omnibus impertit iubar. Verum cur ego hac in re tam diu & uobis fortasse negotium præbeo, & ipse inuicem mihi facesso, quæ unico facilime uerbo concludi potest? Principium motionis ingenitum esse contendimus, nec immerito id quidem: nam si genitum esse confirmetur, cum generatio omnis, aut motus sit, aut non sine motu, ante omnem motionem dicere sanè cogemur esse motum, quod cum per se sit absurdum, & manifestam in se contineat repugnantiam, tum etiam absurdius fieri uidetur, quando ad infinitum nobis hac in re progreßionis aperit modum, in nullo cogitationis termino firmante se animo, sed motum semper ante motum indesinenter sibi affligente & nusquam stante. Concedendum igitur est (ut arbitror) principium omne, ut est huiusmodi, esse ingenitũ, quare motionis etiam principiũ esse

ingen

ingenitum fatendum est. Cæterum quoniam in Platonica secundæ rationis ostensione plures etiam partialium rationum latitant modi occulta probantes ut principium omne ingenitum esse: age quãdoquidem hanc cœpimus nauare operam, & uobis non aliud uidetur agendum, illos etiam breuiter & cursim (ut aiunt) explicemus. Principiũ omne primo est id quod esse dicitur: uerbi gratia, principiũ luminis primo luminosum esse cẽsetur: Caloris principium, primo calidũ & est, & esse dicitur. Similiter alia principia omnia hoc se habere modo fatendum est. Nullum genitum primo tale est: cum omne genitum ab alio sit generatũ, & ab alio procedat simuli. Nullum igitur principium est genitum: ingenitum igitur. Præterea cũ omne genitum ex alio generetur sui ortus principio, si genitum detur esse principium, ex principio utiq; alio erit genitũ. quamobrem principij (ut retro uisum est) erit principiũ, & ad infinitum principiorum extendetur progressio. Adhuc etiam omne genitum ex aliquo non huiusmodi cõstitui generarí que percipitur: homo nanque ex non homine, animal ex non animali generatur: & in ijs etiam quæ arte fiunt, similis illorum fabricæ deprehenditur esse ratio. Lectulus enim fit ex non lectulo: & domus, ex non domo fabricatur. Quamobrem si usquam generaretur principium, ex nõ principio utique fieret: & rursum cum omne (ut diximus) genitum ex principio generaretur, ex principio fieret principium. Ex non principio igitur, & rursum ex principio generabitur principium, si generationem aliquam illi assignare uoluerimus, quo nihil certe absurdius, aut pugnans magis dici aut comminisci potest. Satis igitur (ut arbitror) ex dictis ostensum est ingenitum esse principium. Ingenitum autem omne incorruptibile

Principium quid.

bile est, quicquid autem corrumpi nō potest æternum est, quod est æternum neque morti obnoxium est, neq; aliquo interit modo. Animorū igitur essentia incorruptibilis est, & immortalis, iugi se ipsam uegetans motu, & omnes insuper motionum species, id est, uitæ modos, ex sese incessanter producens & proferens. Cæterum quoniam semoto à principij natura, generationis exordio, corruptionis etiam uerisimiliter semouendus est finis, hoc certe in loco uniuersa de animorum immortalitate sufficienter commodè'que conclusa uideri poterat ratio, cum & alioqui omnes hac in re omnium consentiant philosophorum sectæ, & Aristoteles euidenter in suis de Cœlo commentarijs ingenitū omne incorruptibile etiam esse demonstret: quamobrem si recte meministis, in ijs quæ retro diximus, hac de re me non esse uerba facturum non immerito præ me tuli. Quia tamen diuinus Plato siue admirabili quadam ingenij copia & ubertate, nihil intactum hac in re, nihil non excußum dimittit, siue id potius de composito hominum causa facit, ut omnibus illi numeris diuinam in se agnoscant & uenerentur partem, & iccirco non solum ingenitum, sed incorruptibile etiam probat esse principium: age & nos illius rationem, quæ non ex directo (ut aiunt) propositum, sed per impoßibile sequens ad oppositum, concludit datum, breuiter hoc explicemus modo. Si principium (ut dictat ratio) incorruptibile non est, corruptibile utique erit. Supponatur igitur corruptum esse principium. Corrupto certe principio, neque ipsum ab alio quopiam poterit restitui & effici, neque aliud quippiam ab illo fieri produci'ue poterit. Quoniam enim omne quod generatur, ex aliquo generare principio necesse est, intercmpto certe destructo'que illo, nihil

profect

profecto poterit aliud generari. Et rursum, neque ipsum ab alio quopiam fieri produci'que poterit, quoniam omne quod fit, ex quodam fieri principio concessum est: positum autem fuit principium esse corruptum. Quamobrem ceu rerum omnium præcisa enecta'que radice, nihil inde emergere pullulare'que amplius poterit. Incorruptibile igitur est principium, uel omne (ut inquit Plato) decidat cœlum necesse est, generatioq; intereat & cesset uniuersa, motionis interempto principio primo. Quod cum animi esse naturam in superioribus clare sit ostensum, animũ incorruptibilem esse & immortalem summa est necessitas, cuius ut probatum est, neque à se usquam, neque ab alio quopiam destrui corrumpi'que potest essentia. Verum hoc quispiam in loco, ob ea quæ retro dicta sunt, de elementorum naturis non immerito posset ambigere: cum enim in anima elementa sint omnia, & uniuersa in hoc philosophorum omnium consentiat natio, ad peculiaria tamen quæque ferri loca, & interno agitari principio animaduertuntur. Ignis enim naturæ permussus suæ, summa petit statim. Terræ autem gleba non prohibita, rectà defertur ad ima. Animantis quinetiam extincti corpus, sponte sua ad corruptionem moueri percipitur. Quamobrem aut non omnium esse motionum principium animum concedere planè cogemur, si illa inanima ut sunt, fatebimur esse corpora, aut si dixerimus animata, ad inconuenientius profecto quiddam & absurdius merito deuoluemur, in putrescente animalis cadauere largitorem uitæ & essentiæ animum collocantes, destructionisq; & interitus causam illum esse asseuerantes. Ad has igitur & ad istiusmodi alias, uerborum potius quàm rerum obiectiones, unica & eadem facili occurrentes uia, omnium

princ

principium motionum esse affirmamus animum, id'que omni asseueratione contendimus, qui iugi perpetuaq; sui agitatione, & omnia motionum ex sese producit genera, & rebus insuper omnibus esse largitur & uitam. Nam & elementa ipsa, de quibus præsens ambigit ratio, quæ inanima esse peculiari partiali'que uere existimantur anima, ab ipso certe uniuersi animo nihilominus fouentur & animantur omnia, ab eodem'que illorum intercedente natura ad propria quæque moueri loca certum est. Naturam enim & in ijs ipsis, & in alijs etiam omnibus, animi uestigium quoddam & exemplum esse proculdubio elegantiores omnes uoluere philosophi: pari'que rationis modo extincti animantis corpus, cum uniuersi quædam sit portio, animo præditum quodammodo esse fatendum est. Quemadmodum enim in nobis quæcunque sunt omnia, excrementa etiam & sordes, dum insunt, uitali quodam participare contineri'que calido animaduertuntur, ita quæcunque circumiectu suo capax complectitur mundus, omnia illius complecti contineri'que animo, uero consentaneum est. Mouetur igitur ab uniuersi animo animantis extinctum corpus, non ad corruptionem sanè & interitum: dudum enim id interijt animal, sed ad esse aliud, & ad aliam uniuersitatis trāsfertur indigentiam. Ad commodum enim decens'que uniuersi motus omnes suos mundanus temperat animus. Quod etiam in corporibus facere nostris partialem naturam animaduertere licet, cum pro indigentia sui hos quidem in nobis dißipat & consumit humores, alios uero corrigit & emendat, nonnullos autem ceu rebelles & noxios procul à se abdicat & expellit. Et hæc de animorum immortalitate, & Platonicis hac super re adductis rationibus, quæ nubi in

promp

promptu fuerunt, & pro tempore sese mihi obtulerunt, in medium libens mehercule attuli, ut & utrorunq; uestrum quos plurimu sanè facio, morem gererem uolũtati : uoluistis enim me quid de ijs sentirem ostẽdere : & ut mihi etiã ipsi non minus satisfacerem, si diuinam hominis partẽ merita præconiorum laude pro uirili concelebrarem. Laus enim animi meo quidem iudicio est uel immensa, & omnes uerborum omnium celebritates exuperans, illius explicata ostensáq; natura, qua hominum genus peculiari quodam domesticoq; cognationis uinculo proxime ad deos ipsos accedere sanè existimatur. Nec me præterit multas etiam alias hac ipsa de re, cum antiquorum, tum recẽtium philosophorum, idem ostendentium, in præsentia adduci posse rationes: sed non omnia (ut aiunt) nunc excutienda sunt uasaria. Et alioqui noua sermonum, præsertim longorum, exordia temporis non patitur breuitas, cum & ipsa iam inclinet dies, & nonnulla fortasse alicui uestrum sunt obeunda negotia, quorum mihi in primis est habenda ratio: quamobrem dicendi finem faciam, si isthuc prius ceu coronidem quandam sermoni addidero meo: in animorum scilicet natura, ut ex Platonicis uidimus rationibus, ternariũ reperiri istud, quod illorum dignationem exactámq; proculdubio indicat perfectionem. Scitis enim inter alios hũc esse perfectißimum numerum, tum quia ex imparium genere primus reperitur, tum quia numerorum solus principium, medium & finem illum præcise constituentes continet partes. In animi uero natura ternarium est, seipsum scilicet mouens, semper motum, immortale: ita quòd unum quodammodo & tria idem censetur esse animus: in quibus etiam causarum quidam esse percipitur ordo. Primũ enim secundi causa, illud autem tertij non immerito esse perhibetur.

betur. Verbi gratia, seipsum mouens causa est semper moti: & motum semper immortalitatis est causa. Cum enim isthæc duo (ut retro diximus) in entium reperiantur genere, immobile scilicet prorsus, quod omni motu, & omni melius est uita: ceu illud est unum quod omnem superemi=net essentiam, & primariæ insuper unitates. & rursum id quod externo agitatur principio, quod peius & inferius omni procul dubio existit uita: id certe quod seipsum mo=uet & uicinius ipsi immobili essentiæ, & similius esse cen setur. Semper enim quod seipsum mouet appetit & uult se saluum esse, quemadmodum semper est ipsum prorsus immobile, primum uidelicet omnium principium: ipsum uero immortale illi appropinquare magis uidetur naturæ, quæ mouetur ab alio, cũ à mortis priuatione dicatur, ceu illud interni priuatione motus ab alio moueri censetur. Quamobrem immobilia omnia supra ipsum sunt immor=tale: immortalitas enim uita quædam est, & ueluti animo=rum essentiæ spiritus quidam. Hæc igitur ternarij ratio in animorum (ut dictum est) spectatur essentia, qui cum in=ter immobile penitus, & ab alio extrinsecus mobili planè existant medij, quod in unico τοῦ αὐτοκινήτου uocabulo signi ficanter & diuine expreßit Plato: illud enim αὐτὸ nobi=liores superioresq́; animis indicat eßentias: illud autem κινητοῦ inferiores uilioresq́; signare uidetur naturas. Per primam quidem Ternarij ipsius partem immobili magis appropinquare cernũtur essentiæ: per extremam uero ui=ciniores ei (ut diximus) fiunt naturæ, quæ solum mouetur ab alio, & externo agitatur impulsu. Hæc cum ille nõ mi=nore grauitatis indicio, quàm uerborum lepòre & copia recensuisset: omniumq́; expectationi mirifice satisfecisset, cogitabundo similis finem loquendi fecit, ut ex oris illius

f habitu

habitu planè coniectauerint omnes plura illi hac de re, quæ rite dici possent, alia occurrere & animo obuersari. Quamobrem Antonius, qui attẽtissimã alioqui illi præstiterat operam, & omnem illius sermonem siccis (ut aiunt) auribus, ebiberat, postquam omnia in illum admirationis suæ præconia, nõ minus uere quàm largiter effudit, Quãdoquidem, inquit, eruditissime Bembe hoc Platonico disputationis conuiuio allecti potius quàm satiati abs te discedimus, nihil prohibet (quæ tua est liberalitas) nos denuo, ut pro ijs etiam loquar, cras aut perendie ad reliqua conuiuas accipere: hac enim re nihil gratius nobis, neq; magis ex animo quicquam facere poteris. Accedemus igitur uel nõ uocati: & ego, si nihil aliud, integram tibi sanè huiusmodi esculentorum afferam famem. Tum ille subridens hilarè, ut semper, Tuo, inquit, iure mi Antoni omnia de me tibi polliceri libere potes. Verũ memineris (ut in prouerbio est) ne collecta ad conuiuiũ exigas, & cum dicto assurrexit, idq; omnes fecerunt. Pauloq; pòst inde discessũ est.

ALVEROTVS,
SIVE,
DE TRIBVS ANIMORVM VEHICVLIS.



SALVE Capella. CAP. Et tu Luca amantissime. LV. Vnde nam, & quò? CAP. Verona redeo, quo me literis superioribus diebus Daniel Rhenerius aduocauit, qui istic, ut nosti, præfectum agit, cum quo mihi à pueris magna beneuolentiæ & amoris intercedit necessitudo. Ad te autem ueniebam, si quid uelles

uelles, nam cras aut ad summum perendie Venetias ire co gito, ut & senatui meo, quam debeo, præstem operam (cõplusculos enim absui dies) & meos insuper reuisam. LV. Mirabar equidem Capella, & ubi nam esses conie= ctari haud facile poteram: nam neq; te hic uidebam, quò dum ades deambulatum uenire soles, & te Venetijs non esse certò sciebam. Cæterum bene habet, quando hic inco lumẽ te uideo: nãq; dum aderis, meo arbitratu te frui po tero, & de re quadam mea opportune etiã consulere, quæ cum non leuis sit momenti, & angit me (ut par est) & quid consilij de illa capiam, dubium me animi facit. Op= portune igitur uenisti, nam cum te prudentia insignem semper noui, tum mei etiam in primis amantissimũ: quam= obrem (ut spero) me ab hac animi perplexitate facile ex= plicabis. CAP. Ludis ut soles Luca, & me cauillo im= petis. An tibi desunt quæ ineas consilia, tua præsertim in re, quem tum ob ingenij præsens semper acumen, tum propter multiplicem rerum experientiam alij consulere solent? LV. Age age Capella notiora quæso, nãq; me ijs præposteris laudibus, quas neque in me esse cognosco, ne= que recipio, non ornas, sed oneras: & alioqui fugit'ne te uulgatum illud, homines proprijs in rebus haudquaquam recte perspicere, sed ualde sæpenumero cæcutire: necnon ægrotos medicos non se ipsos curare, sed alios qui sibi medeantur adhibere solitos? Et profecto ita se res habet: affectus enim & commotus animus haudquaquam rite despicere & iudicare ualet. Consilium nanque affectioni contrarium ut sanè est, ita non immerito ab omnibus hu= iusmodi esse censetur. CA. Quãdo ita tibi uidetur Luca, id fiat quod expetis: nihil enim prohibet mea oĩa, quantu= lacũq; sunt, tibi præsto semper esse, & alioqui Homericũ

me mouet illud, Duo simul omnia melius & rectius: uerũ hac si placet conditione id fiet, ut antequàm quòd ad te pertinet aggrediamur, quando ut uidetur in præsentia uacas, & ego hodie ut me de uia colligam, nihil aliud agere decreui, mihi seriatim prolixeq́; narrare uelis, quæ superioribus diebus, cũ apud Aluerotũ cœnaretis tu & Leonicus noster, alijq́; præterea eiusdem notæ uiri, disceptata fuerunt: quædam enim mihi non de conuiuio (ut aiunt) collecta, sed selecta potius & recondita Veronæ Baptista Turius noster, uir (ut nosti) & bene eruditus & bonarum literarum studiosissimus, qui illi interfuit cõuiuio, per capita discurrendo tetigit potius, quàm enarrauit. Quæ tamen mihi adeo insederunt, sic me audiendi quæ reliqua fuere uehemẽti desiderio repleuerunt, ut nihil æque doleam, quàm me illi suauissimo conuiuio non interfuisse. Discumbentium enim unus fuissem certò scio. Verũ tu mi Luca quando, ut dixi, in præsentia nihil tibi, ut opinor, aliud est agendum, & qua es memoria, rem totam te tenere non dubito, me amœnissimi illius conuiuij, & uere Socratici (ut fieri potest) participem facere uelis: rem enim mihi gratissimam feceris, si illa omnia quo fuerunt enarrata ordine recensueris. Postmodum, si uidebitur, opera consilioq́; meo, quando id tibi curæ est, ad omnia iure tuo uti poteris. Locus quinetiam iste nonnihil nos admonere uidetur, ut hic totam rem istam commode transigamus. Riparum enim toros, propter hunc amœnissimum fluuium, mollis cõuestit herba, omnesq́; ruris iucunditates & gratias urbanus iste facile superat amnis, ubi & melius commodiusq́; sermones illos recensere poteris, & ego inuicem, quem de uia cœpi laborem, grate quiescendo deponam. LV. Ad rem (mehercule) iucundam me reuocas Ca-

pella

pella, quæ mihi eo suauior sanè memoratu erit, quo tibi rem gratam, ex ijs quæ dixisti, me facturum esse intelligo: & alioqui isthæc ipsa sæpius retractata non solū non satiant, nouitatisq́; gratiam deperdunt, sed mirum quantum semper oblectent magis, audientiumq́; auribus ueluti recentia iucundißimum quendam discendi relinquunt pruritum. Considamus igitur hic, quando ita tibi placet: nanque ego te pluribus non tenebo, sed rem omnem, quo gesta fuit ordine, à principio exordiri aggrediar. CAP. *Sic faciamus.* LVC. *Superioribus diebus Capella, dū apud Aluerotum nostrum inuitati (diē enim natalē celebrabat) discumberemus, ego & Leonicus, & Hieronymus medicus frater meus, necnon Baptista Turius, de quo isthæc inaudisti, & alter Baptista cognomento Leo, philosophiæ & literarum delitiæ, alijq́; præterea complures Alueroti necessarij, laute sanè, & opipare accepti fuimus, nosti enim uiri minime parci uitæ cultum, & cùm alijs in rebus, tū in hoc cōuictus symposiorumq́; genere nō profusam & superfluentem, sed ciuilem & aptam magnificentiam. Et quoniam non corporibus solum eruditus hospes, sed animis etiam consultum uolebat, inter epulas aderat Anagnostes, eius, ut arbitror, ex sorore nepos, puer quidem ille & adhuc impubis: uerum ut apparuit literis excultus: nanque scite admodum lectitabat, claraq́; & suaui uoce conuiuarum animos tum leniter demulcebat, tum etiam ad dictorum intelligentiam, nescio quomodo, efficaciter excitabat. Lectio autem fuit de sexto Aeneidos libro, ubi altius caput diuinus extollēs Maro, & ueluti poëticæ oblitus, philosophum planè induit, eumq́; nō de triuio, sed melioris (ut aiunt) notæ: quando scilicet de mundi agit anima, menteq́; ipsum iugi motione intrinsecus agi-*

tante, ex quo prima rerum initia, quæ elementa uocant, prodiere: mox etiam & animalium genera omnia: nihil autem prohibet (ut arbitror) & carmina ipsa nunc subtexere, quæ mihi adeo placent, ita animo penitus insident & inhærēt meo, ut quoties illū relaxare uolo, isthæc ipsa decantem, profundissimumq́; illorum sensum, dulci coniūctum lepôre, suauiter mente reuoluam: Sunt aut (ut nosti) ista:

Principio cœlum, & terras, camposq́; liquentes,
Lucentemq́; globum lunæ, Titaniaq́; astra
Spiritus intus alit, totamq́; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumq́; genus, uitæq́; uolantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus:
Igneus est ollis uigor, & cœlestis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq́; hebetant artus, moribundaq́; membra.
Hinc metuunt, cupiuntq́;, dolent, gaudentq́;, nec auras
Respiciunt, clausæ tenebris & carcere cæco:
Quin & supremo cum lumine uita relinquit:
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusq́; necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris:
Ergo exercentur pœnis, ueterumq́; malorum
Supplicia expendunt: aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad uentos: alijs sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisq; suos patimur manes: exinde per amplum
Mittimur Elisium: & pauci læta arua tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumq́; reliquit

Aethereum

Aethereum sensum, & aurai simplicis ignem.
Has omnes, ubi mille rotam uoluêre per annos.
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora uelle reuerti.

CAP. Ita uiuam, mi Luca, ut ista semper admiratus sum carmina, & latentiores quosdam illis subesse sensus semper existimaui, quàm quomodo ab interpretibus habentur exposita. Non enim (illorum pace dixerim) Vergilianum apicem illi mihi contingere uidentur. uerùm prosequere. Spero nanque hodie quæ ab illis habere nũquam potui, à te certe habiturum. LV. De me nihil expectes Capella, neque tibi quicquam promittas: non enim is sum, qui isthæc recte explicare possim, sed auditos referam sermones, tu postmodum illos pensiculabis: hodie nanq; merum me narratorem habebis. CAP. Vt lubet: perge modo. LV. Sub ijs igitur lectis secũdæ iam afferebãtur mensæ, pomorum uarijs generibus, & omni bellariorum apparatu & copia refertæ: tacebantq; omnes, ut mihi uidebatur, lectorum carminum uerba sensusq; examinantes, & animo retractantes. Sed inter cæteros clara mehercule admodum Leonici nostri fuit admiratio, qui ueluti extra se positus, & quodam afflatus spiritu bis exclamauit: Euge, euge Maro: statimq; conticuit, eo corporis habitu oculorumq; contuitu, quem ij qui ecstasim patiuntur manifestò habere solent. Et Aluerotus, cum Anagnostæ nutu silentium indixißet, ad Leonicum conuersus, Quid tu inquit Leonice in supremam (ut aiunt) mentis arcem te penitus recepisti, & tanquam Lethen ad fundum biberis, & loci sanè oblitus es, & temporis? An te fugit cõuiuiorum hilaritatis condimenta quædam præsentium esse ser-

mones, tristesq́; & seueras huiusmodi cogitationes à sym posiorum iucũditatibus semper fuisse explosas? Effare igi tur, & si non aliud, id saltem quod in præsentia animo uersas eloquere. Videris enim mihi Vergilianis carminibus, ueluti prægnans effectus, torqueri quodammodo, & non belle te habere, nisi cito pepereris. Ita est, inquit ille, suauissime Aluerote, & me puer ille ceu non poëticis uer sibus, sed magicis quibusdam cantationum præstigijs excãtasset, sic externauit, ut nisi tu me interpellasses, & uerbis tuis me mihi restituisses, adhuc hærerẽ. Et quid est, inquit Aluerotus, quod te adeo affecit, ut cæterorum oblitus, illis summa animi intentione uacares, ita ut imprudens opinor, & id te facere nesciẽs, subito exclamares, Euge, euge Maro. Considerabam, inquit ille, Aluerote quonam afflatus spiritu nullius non philosophiæ peritus Maro illa deprompsisset, quæ omnia Academicorum, Stoicorumq́; decreta, ea inquam quæ ad uniuersum hoc animal pertinent, omnia in se animalium genera complexum, quem mundum appellamus, comprehendunt & continent. Tangit enim in primis illam quam cum Academici & Stoici, tum Peripatetici ferè omnes, mundi uocant animam uniuersæ illius infusam moli: eamq́; penitus cunctasq́; illius partes perenni quadam tranabiliq́; spiritus natura uiuificantem, animalq́; hoc maximum efficientem & animãtem, cuius corpus quicquid sensu percipitur merito esse censetur. Stoicorum quinetiam dogmatis peculiariter me minit, qui calorem igneamq́; naturam quo aluntur cre scunt'que omnia, & iugi motione cientur, mundo illius'que partibus includi uolunt: omne etenim de illorum sententia quod uiuit, siue animal, siue terra editum, id cer te uiuit propter inclusum in eo calorem: ex quo intelligi

sanè

ſanè debet, eam caloris naturam uim habere in ſeſe uitalem per omnem mundum pertinentem, & omnia in illo permeantem: quod noſter hic Maro cum uigorem igneũ, tum cœleſtem uocat originẽ. Vera narras, inquit, Leonice, & iſthæc ipſa Vergiliani exponunt interpretes: uerũ de animorum circuitu poſteaquam hinc emigrauerint, & de illorum rurſus ad corpora deſcenſu, & quibus id eueniat cauſis, præterea de illorum purgatione, pœnarumúe quas expendunt generibus, de quibus hic loquitur Maro, aut nihil omnino, aut ſatis exigua, & frigida mehercule, ueluti comminiſcentes, in medium adducunt. Quare rogo te ſi quid habes, habes autem, certo ſcio, ut ne graueris id & mihi, & iiſdem omnibus, qui te tacentes rogare uidentur, recenſere, egregiumq́; hunc philoſophiæ colophonem natali meo apponere. Recondita, inquit ille, Aluerote, & non uulgata philoſophiæ expoſtulas myſteria, quæ hoc in loco Maro noſter potius tãgit, quàm exprimit. De partialibus enim animorum naturis, ut mihi uideris, deq́; uitarum electionibus, aſcenſu quinetiam illorum & deſcẽſu audire deſideras, temporumq́; periodis, quibus cum in cœlo, tum uiciſſim in terris humani degunt animi. Et Aluerotus, Iſthæc ipſa, inquit, Leonice audire percupio: præterea de pœnarum apud inferos generibus, quibus impuri, ſonteſq́; plectuntur animi, illorumq́; purgationibus, à quibus in priſtinam reſtituti naturam, ſublimes poſthac euadũt, & uice craſſi ſolitariiq́; cuiuſdam corporis, cuius in terris curã gerebant, uniuerſi ipſius cum aliis eiuſdem notæ animis efficiuntur curatores: Hæc enim & hic tangere uidetur Maro: & ego apud Ciceronem noſtrum, quoſdamq́; etiam alios ueteris memoriæ autores uidi potius, quàm planè intellexi: non enim is ſum, qui iis

præsertim de rebus impudenter mihi blandiri uelim. Non immerito, inquit ille, ista tibi Alverote obscura, & non bene peruia esse uidentur: nam & re ipsa huiusmodi sanè sunt, & auribus præterea tuis (ut opinor) insolita. Noua autem semper omnia, præsertim à communi remota usu, etsi non suapte natura, nouitate tamen ipsa duriuscula uideri solent. Sunt præterea quædam, quæ non recte considerata, merito hac in re difficultatem augent: & quæ nouitiorum philosophantium haudquaquam concedit natio, quo scilicet rationis modo humani mouentur animi, & modo sursum uersus, alias deorsum, statis quibusdam temporum curriculis, ferantur. Corporum enim huiusmodi sanè sunt motiones. Animus autem cum ex hoc terreo crassoq; emersit corpore, ad suam postliminio reuersus naturam, incorporea censetur essentia. Pari'que rationis modo, incorporeum quippiam pati à corpore, & aut aqua dilui, aut igne (ut inquit Maro) exuri, haudquaquam uero consentaneum esse uidetur. Pœnarum igitur, hoc rationis modo, secundum quosdam, suppliciorumq; apud inferos ratio, uana sanè erunt inaniaq; uerborum terriculamenta, anicularumq; fabellis quàm simillima, uulgi quidem animos nonnihil fortasse mouentia, apud eruditos autem & constantes uiros pro futilibus semper habita, & nunc etiam habenda. Et Alverotus, Ista sunt, inquit, Leonice quæ ex te audire percupimus (ut pro ijs etiam loquar, qui iamdudum idipsum mihi nutu significãt) quare quãdo nihil aliud in præsentia nobis est præuertendum, hoc diei reliquum, si placet, ijs sermonibus iucunde & utiliter componamus. Cumq; cæteri id ut facere uellet Leonicum rogassent, subridens ille, de composito, inquit, ut uidetur, Vergilianos uersus illos Anagnostem

De animorum apud inferos supplicijs.

recitare

recitare uoluistis, ut isthæc uobis de me exquirendi daretur occasio. Verum nulla est inuidia, quin ea nunc ex me audiatis, quæ ego ex multijuga Academicorum lectione collegi. Vniuersam enim rem istam, Platone duce, uiri illi abunde sanè in commẽtarijs pertractant suis, quẽ proculdubio secutus hic esse uidetur Maro. Cæterum antequàm exordiar, uos omnes nunc admonitos esse uolo, ut ea dicendorum probetis teneatis'ue sola, quæ nostratium, id est, Christianorum, diuinis comprobantur decretis: cætera uero explodatis. Hæc enim uere cœlitus delapsa philosophia, ut de Tiresia inquit Homerus, sola sapere uidetur: cæteræ uero tanquàm umbræ uagantur. Ab omnium igitur opifice initium facientes, illumq; tota mẽte (ut par est) uenerati, dicimus, & ueraciter asseueramus, eum cum aliorum omniumquæ sensu intelligentia'ue cõprehendi possunt, tum partialium animorum, de quibus mox uerba facturi sumus, primam, ueram, solamq; esse causam: quapropter hunc deorum hominumq; patrẽ uniuersa merito appellauit antiquitas. Ab hoc autem in corpora humanos emanare, uel potius illis adesse animos, non tempore aliquo aut motu, sed non alia magis expressæ rei similitudine, quàm ut à solis lumine radius ipsi sese insinuat oculo, pro intellectus nostri captu dicere possumus. Nõ enim ineffabile huiusmodi mysterium, aut recte intelligere (ut arbitror) aut commode eloqui hominibus est cõcessum. Diuinitus autem id efficiatur, sicut illi uisum est. Nos autem, quod Academici senserunt, qui eiusmodi de re inter reliquos philosophos, sine cõtrouersia, & melius, & copiosius sunt loquuti, pro uirili nostra in præsentia explicare contendamus. Humanum igitur ij animum mẽtium diuinarum ultimum, & mutabili quadam natura præditum

Deus sol⁹ rerũ omniũ causa.

Deorum hominumq; patrẽ.

Animus humanus.

prædituм eßc uolucrunt: æternum quidem illum, & mortí minime obnoxium, cum ob illam qua præditus est essentiam se ipsam mouẽtem, & nunquam se deserentem, ut in Phædro, & in commentarijs de Repu. ostendit Plato: tum propter opificem causam, à qua primo est productus: immediatis enim affectibus quæque producẽs causa multum certe sui condonat & concedit. Hanc igitur, de qua loquimur, ultimam mẽtem, humanum uidelicet animum, ut mũdi incola efficiatur, mundanusq́; rite appellari poßit, corpus quiddam connatum, & ab architecto illo primario fabrefactum habere neceßc est: sine illo nanq; in mundo solum modo uiuit illo, qui intelligibilis appellatur, cũ hoc uero sensibilis est portio uniuersi: æthereum igitur corpus purum, limpidumq́; & totum illustre illi summus applicuit opifex: neq; id (mehercule) sine causa. Vltimã enim mentem supremo primum adhærere corpori consentaneũ uero esse uidetur: neque adhærere solum, sed etiam penitus infundi. Et hoc profecto est, quod in Timæo diuinus scribit Plato: ubi postquàm sphærarũ animis ætherea aßignauit uehicula, humanos etiã animos cõsimilibus uti uehiculis uoluit, æthereũq́; illis corpus applicuit, à quibus, ceu ab omnium opifice attributis, nusquàm absoluuntur animi, sed illa semper uiuificant, & mouent: eoq́; certe modo sempiterna etiam & immortalia reddunt. Verum hoc in loco anceps profecto inter Academicos exoritur quæstio, utrum uidelicet humanus animus sine corpore isto æthereo (quod eius uehiculum uocant, & nos posthac illos imitati, huiusmodi utemur uocabulo) nobilior melіorq́; erat, quàm cum illi isthuc adiungitur corpusculum, aut ignobilior & deterior. Si enim nobilior de per se & solitarius erat animus, profecto inquiunt sphærarum animis,

mis, quibus statim puoductis peculiaria opifex adiungit uehicula, humanus erat nobilior animus, nullo antè adiuncto uehiculo: quod neque uera dictat ratio, diuinos illos animos, ab omni prorsus generationis labe absolutos, & liberos, ijs qui in generationem decidũt animis esse ignobiliores, deteriores'ue: neque Academicorum quispiam, aut omnino philosophantium aliquis dicere unquam est ausus. Si autem uehiculi istius appendiculo nobiliorem melioremq́; illum esse dicemus, alia rursum uia sagax reclamat ratio, absurdũ, & ab omni penitus ueritate alienum esse, dictitans summi illius opificis fabricam iusta reprehensione non carere, à quo non perfectißimum statim suo in genere proceßisset opus: sed ab eo quod præter naturam est productionis suæ fecißet initium, quandoquidẽ ab imperfectiori ad perfectius quiddã & melius uehiculi applicatione humanus procederet animus. In salebris igitur (ut aiunt) de sui ipsius natura anceps & dubius hæret animus, cum utrinque ut uisum est, non satis peruiæ occurrant angustiæ. Cæterum ijdem ipsi, qui hanc infligere plagam uisi sunt, efficacia statim solutionis afferunt medicamenta. Dicunt enim cum animorum, tum uehiculorum ipsorum productiones à rerũ opifice simul emanasse, nullo temporis medio interuallo: prioris autem & posterioris uocabulis necessario quodammodo uti oportere, quando non aliter animorum excellentia à corporis (ut ita dicam) ignobilitate & depreßione uerbis indicari & exprimi recte poßit. Cum igitur partiales semper animi æthereca illa annexa habeant uehicula, nusquamq́; illa (ut pòst etiam uidebimus) deponant & exuant, eiusdem semper nobilitatis dignationisq́; non iniuria esse censentur. Tũc Aluerotus, Profecto, inquit, Leonice,

egregius

egregius isthuc ipsum sensisse uidetur uates: primiq; huius corpusculi & animorum uehiculi recte se intelligentibus indicamenta posuisse: cum post illorum purgationem æthereum restare sensum, & auræ simplicis ignem scripsit. Et Leonicus, Vera, inquit, narras Aluerote: Cæterum poëtarum more eo in loco noster Maro id quod habetur, pro eo quod habet, sanè posuisse uidetur. Sensus enim in corpore est, & proprie sine corpore esse non potest: pro uehiculi igitur ætherea essentia sensum posuit æthereũ. Verum de istiusmodi sensu mox plura: nunc de uehiculorum naturis prosequemur. Post æthereum hoc corpus, quo ceu curru quodam descensurus in generationem uehitur animus, quod de natura sui purum, illustreq;, & astro simile esse asseuerãt, antequàm ad tetrũ isthuc cõpositum'ue & mortale decidat corpus, quod terreum ostreaceumq; merito appellant, alia induere corpora humanum animum, quas simplices uocãt tunicas, est necesse. Naturales enim huiusmodi progreßiones non nisi conuenientibus fieri medijs merito est censendum. Hoc autem secundum animi uehiculum esse dicunt, ex simplicibus constans elementis, & ipsum certe tenue & simplex, sed multum quantum ab æthereo illo peculiari connatoq; animorum uehiculo distans, cum sinceritate puritateq; ipsa, tum excellentis dignatione naturæ: quod illis non opificem causam, uerum nouitios secundosq; efficere deos, id est, elementares sphærarum animos, autumant. Quamobrem posthac elementare hoc ingreßus uehiculum animus, non solum mundanus, quod ut esset à primo habuit uehiculo, appellatur, sed ad hoc generationis etiam (ut aiunt) ciuis efficitur. In uniuersi enim parte illa conceßit, in qua cum actiones omnimodæ, tum mutabilium rerum paßiones

Nouitij & secundi dij.

nes

nes affectionesq́; manifesto fieri conspiciuntur. Cum hoc posthac ultimo loco terreum compositumq́; ingredi censetur corpus: quod ultimum illius uehiculum nuncupatur, cum re uera teter tenebricosusq́; potius appellari debeat carcer, quàm uehiculum. Mortale quippe id est, & corruptibile: neque hoc semel, ut uidetur, & existimat uulgus, sed continuò: nam singulis horarum momentis interit, nusquamq́; eodem permanet in statu. Quod etiam ostreaceũ, similitudine à duro obstipoq́; ostreorum tegumento deducta diuinus appellauit Plato. Et quoniã in corporum natura ab animorum essentijs, ceu à lumine radij, peculiares proprieq́; uitarum dependent species, cum quibus mox ipsi etiam prodeunt sensus, ut ipsum æthereum corpus primum animi uehiculum simplex purumq́;, & astro simile esse perhibetur, ita perennis in illud immortalisq́; ab eodem animo uitæ emanat speciès, deficiens nunquam, illiq́; semper adhærens, cuius causam retro diximus animorum cum huiusmodi corporibus perpetuam indissolubilemq́; planè esse copulam. Neque id (mehercule) sine ratione censetur: nam cum per suam essentiam corpori uitam præstet animus, eßentia certe illius sempiterna, uita est sempiterna: porrò sempiterna uita cui adhæret, primo eidem sempiterno adhærere necesse est: & cum animorum perpetua sit essentia, corpus sibi proximum perpetuo animare uiuificareq́; par est. Nã perpetuæ essentiæ proprius actus uiuificatio est sempiterna. Et hoc est profecto (ut id etiam obiter dicatur) quod recte perspicientibus Aristotelem innuere uoluisse uero consentaneum est, quando in secundo de animalium generatione commentario, cum ostendisset intellectualem animam à corpore esse separabilem, propterea quòd cum illius operatione corporea

Corpus mortale

Ostreaceũ Platoni.

non communicat operatio, ſubiungit huic animorum ſpe ciei corpus certe aliquod conuenire quod ſit à genituræ corpore ſeparabile. Et hæc profecto illa eſt uitæ ſpecies per quam, ut pleriſq; in locis more ſuo refert Plato, alis præditus inſignitusq; animus, & ſimulis dijs effectus, cum eiſdem uniuerſum temperat & regit mundum. In ſecũdo autem animorum uehiculo, quod à nouitijs diximus præſtari efficiq; dijs, uitæ quædam influitur ſpecies, non immortalis illa quidem & perpetuo manens, ut prior illa, de qua dictum eſt, uita: uerum diuturna quædam & lõgæua, & quæ multis annorum curriculis cum illo perſeueret: de qua mox plura dicemus. In poſtremo uero eorundem uehiculo quod ex uarijs multiformibusq; conflatum naturis materiale, & compoſitum, terreumq; merito appellauimus, uitæ influitur ſpecies, quæ morti obnoxia, leuibus de cauſis facile corrũpitur, & cito deficit, ſimulq; cum ipſo interit corpore. Pari quinetiam rationis modo triplices dicũtur eſſe ſenſus, ab animorum eſſentijs in tria hæc corpora trifariam conſtituti. Et in primo quidem unicus eſt ſenſus, & is immaterialis & ſimplex paßionibusq; haud quaquam obnoxius, & omni puritate conſpicuus, quod noſter tãgere uidetur Maro, cum dicit, Purumq; reliquit Aethereũ ſenſum. Hunc præterea uirtuti, quam phantaſiam uocant, eandem habere naturam plerique academicorum uoluerunt, & utrorumq; eſſentiam utriſque communem eße dixerunt. In ſecundo uero animorum uehiculo, quod tum ſpiritale & elementale, tum aëreũ à prædominante uocant elemento, unicus etiam dicitur eſſe ſenſus, non ſeorſum quidem habens auditum, ſeorſumq; uiſionem, reliquosq; eo modo ſenſus, ſed unitos ſanè & in idẽ deductos qua certe ratione principalem (ut arbitror) & unicum

unicum uocat ſenſum Ariſtoteles illum qui de cæterorum operationibus ſenſuum conſtans fert iudicium. Cæterum is à priori de quo diximus diſtat ſenſu, quoniam neque ea excellit puritate, quam ſimplicis auræ ignem uocat Maro, & paßioni planè eſt obnoxius, nanque ſuperiora quidem comprehendere non cenſetur, inferiora autem ſolum & extranea patiendo ſuſcipit & admittit. In tertio autem uehiculo (quod pluribus appellauimus uocabulis, ſed terreum præcipue Academici à prædominante uocant elemento) animi uis & præſentia plures efficit ſenſus, & omnes patibiles: unitasq́; dißipatur & diducitur illa quæ in ſuperioribus cenſetur eſſe uehiculis: imbecillitateq́; ſua is quinquepartito diſiunctus ſenſus, ſenſibiles ſibi ſpecies haudquaquam continere conſeruareq́; poteſt. Vt igitur quæ de animorum uita, ſenſuq́; in ijs quæ recenſuimus uehiculis Academici memoriæ prodiderunt, pro uirili breuiter perſtringamus, ſciendum eſt humanos animos in æthereo quidem uehiculo ceu mundanos Deos uniuerſalem influere uitæ ſpeciem, cum qua uniuerſum (ut dicunt) cum ſuperioribus animis mundum temperant, & gubernant. In ſecundo uero uehiculo, cum quo generationis effecti ſunt ciues, partialiter, ut inquiunt, uniuerſalem infundunt uitam, cum ſcilicet eo in ſtatu non uni tantum addicti ſunt animi, ſed ad uarias uitarum ſpecies arbitratu electione'ue ſua inſinuare ſe poſſunt. In tertio autem uehiculo, craſſo illo & terreo, partialis, imo ſingularis potius uitæ conſtituitur ſpecies, cum uniuerſi uice nutu ſuo ſingularis cuiuſdam rei curatores moderatoresq́; humani efficiuntur animi. Et hoc eſt quod de pennarum fluxione, illorumq́; exinde ad inferna caſu diuinus refert Plato: ſimiliq́; rationis uia in

illis sensus differentias uariant & modos. In primo namq; animorum uehiculo æthereo scilicet corpore illis coalito, unicum esse uolunt sensum, eumq́; acerrimum, purumq́;, & unite in sese collectum, sensus reliquos comprehendentem, & nulli præterea obnoxium paßioni: quemadmodum enim mundus ipse, qui uniuersalis est corpus animi, cum rotundus effectus est, ut circulari motione duos animi circulos ipsum constituentes imitetur (ut in Timæo est uisum) tum sensus in sese habere censetur omnes non peculiaribus diductos seiugatosq́; sensiterijs, ut in partialibus est uidere animalium generibus, sed unitos & simul omnes. Idemq́; in ipso sensile, sentiens, & sensus esse censetur. Ita in primis inquiunt, partialium animorum corporibus omnes certe simul sunt sensus. In secundo autem corpore, spiritali uidelicet, siue aëreo uehiculo, unicum etiam, sed non ea puritate sensum esse dixerunt: qui tamen paßioni esset obnoxius. In terreo uero illo ostreaceoq́; corpore cũ multos esse sensus inter se diductos, & seiugatos, tum ab externis etiam obiectis patibiles, & qui sensilia haudquaquam seruare (ut dictum est) ualeant. Præterea cum hominem corpore utentem animum ipse definiat Plato, hac etiam ratione uiri illi triplicem asserunt esse hominem, & primum quidem incorruptibilem & immortalem, humanum scilicet animum, æthereo utentem uehiculo, qui ueluti mundanus quidam Deus (ut retro dictum est) merito existimari potest, & cum comparibus mundum regit animis. Secundum autem hominem humanum esse asserunt animum, dum spiritali siue aërio utitur uehiculo, cum quo etsi non sempiterno perseuerat, per multa tamen annorum degit curricula, Dæmonq́; terrarum incola esse censetur: quos aëre circũfusos, terras peruagari

Homo triplex

Dæmones.

peruagari, hominumq́; facta inuisere Ascræus cecinit uates. Tertium uero & postremum hominem esse dicunt animum hoc mortali caducoq́; utentem corpore, quem merito exulem extorremq́; appellare possumus, tēporaneoq́; addictum carceri, seu ut leuiore commodioreq́; utamur uocabulo, terrarum hospitem ad cœlestia contemplanda, quibus solum augetur & perficitur, natum. Qui demum tunc liber euadat, & uere ad patriam reuertatur suam, cum disfracto hoc terreo tetroq́; carcere, alacer, libensq́; in auras exit: à quo tantum sanè abesse dicunt ut corporis interitu detrimenti quippiam patiatur, ut ignauum existimat creditq́; uulgus, ut tum demum uegetetur & crescat, perfectionemq́; proculdubio uendicet & acquirat suam. Cæterum ne isthæc quæ dixi apud uos comminisci uidear, aut impudenter fingere, locuples sanè Platonis nostri testimonium in medium adducam: ut quæ à me in præsentia de triplici ordine hominum audistis, de illo, si placet, etiam audiatis. In Politia nanq; de primo certe homine mentionem facit, quando dicit animos esse homines in Saturnia periodo, in qua quod immortale in nobis est solum uiuit, cum totus uidelicet in mētem, id est, in eius caput recurrit animus, diuinæq́; propius fit unitati. De secundo autem homine in Phædone loquitur Socrates, cum dicit, in extremis terrarum confinibus habitare homines longæuos magis & diuturniores, quàm sunt ij qui in hoc degunt loco. De tertio uero & ultimo quòd loquatur homine, nihil est quòd uos obtundam. Clarior enim est res, quàm ut ullo testimonij egeat adminiculo. Est igitur homo ut secundum Platonem concludamus, utens corpore animus aut immortali, aut longæuo, aut caduco & fragili, uitæq́; breuioris, quem ἐφήμερον Græci appellare

Homo terrarū hospes.

Homo quid Platoni.

solent. Hæc cum intente satis (ut mihi uisus est) recensuisset Leonicus, finem loquendi fecit. Et Aluerotus, Præclare me equidem, inquit, Leonice de triplici in nobis homine, deq; tribus animorum uehiculis in præsentia disseruisti: & ut de me ipso loquar (nihil enim prohibet quæ uera sunt ingenue confiteri) multa ex te nunc didici, quæ mihi prius erant ignota: multamq; gratiam Anagnostæ habeo nostro, qui nescio quo ductus spiritu nuper illa nobis carmina recitauit: nisi forsitan animus ipse, ut de se loqueremur, hanc illi iniecit mentem, ut nobis dictorum, dicendorum'ue hanc præberet ansam. Non intermittendus igitur Leonice, inquit, sermonis est cursus, neque molliter agendum: multa enim & præclara (ut mihi uidetur) dicēda restant, quæ de te audire expectamus. De animorum enim ad tria uehicula descensu solummodo est pertractatum: quo autem modo ijdem ascendant animi, & ad opificem reuertantur suum, quæ illorum sanè est beatitudo & uera felicitas, quæ'ue interim agant & patiantur, nondum est enarratum: quare à te summopere omnes cōtendimus, ut quæ reliqua sunt in præsentia nobis dicere & declarare aggrediaris. Non ideo, inquit, Leonicus, paulò antè reticui Aluerote, ut sermonis nostri finem facerem. Sciebam enim satis grandem mihi restare uiam, antequàm ad materiæ huiusmodi calcem peruenire possem: uerum ut usu sæpenumero euenire solet, cum multa mihi uno tempore sese offerrent dicenda, à quo nam potißime inciperem, animi ambiguus eram. Sed quod tunc animi intentione quærebam, nescio quomodo, dum me alloqueris, mihi sese obtulit, & præsto fuit. Consentaneum nanq; mihi uidetur, quando de triplici diximus homine, tribusq; uehiculorum essentijs, necnon de sensus ipsius in unoquoque uarietate

De animorum ad suum opificem reditu.

uarietate & differentia, de ipsis etiam uehiculis aliquid dicere, qua nam sint forma figuraq; præditi, & quibus agitentur cienturq; motionum generibus. Cum enim (ut dictum est retro) superiora illa duo planè sint corpora, de tertio nanque in præsentia, cum sub oculorum cadat contuitu, non est quod ambigere debeamus, & conformata esse illa, & aliquo cieri motu necesse est. Qua in quæstione Academici, quos in præsentia consectamur, orbiculata, rotundaq; illa esse corpora, circuloq; sine cõtrouersia per figuræ exigentiam suæ agitari & moueri asseuerant: id autem intelligi uolo cum eorum moderatores, id est, partiales animi, qui in illis ceu curribus habenis parentibus uehuntur, menti maxime fiunt similes: neque hoc mehercule ab re. Quemadmodum enim (ut retro dictum est) mundus ipse uniuersalis, corpus animi, originem imitatus suam, tum globosus est figura & rotundus, tum circulari agitatur motione: Ita etiam partialium uehicula animorum, & illorum utrobiq; sumpta motione, necnon uniuersitatum etiam, quas totalitates uocant, suarum causa, primum ætheris ipsius, alterum aëris, tum rotunda & circinata esse, tum circulo moueri necesse est: cum naturaliter scilicet recteq; se habent, absolutaq; sunt & libera. Verum quando annexa sibi habent corpora, dura inquam illa & materialia, id est extremum illud uehiculum, neq; sanè agile, neque habenis facile parẽs, tunc profecto nonnihil à propria illa peculiariq; deuiant motione, temereq; sæpenumero & inconcinne feruntur: nam neque circulo exacte inculpabiliterq; moueri possunt, propter materialium sibi annexam corporum molem: neque rursum recto cientur motu, propria peculiariq; in ipsis refragante & renitente natura. Et is profecto unus

est laboris angustiæq; modus, quem à materialium obtusorumq; contubernio corporum huiusmodi existimantur habere uehicula. Quamobrẽ in extremo isto ostreaceoq; corpore laboriosam ærumnosamq; nõ immerito humanæ uitæ prouenire difficultatem ijdem asserunt uiri, quoniam animorum agitationes motus'ue, quatenus rationales intellectualesq; existunt, circulares (ut diximus) iure & merito esse debent: eoq; & motu & configurationis forma cum æthereum illorum uehiculum perpetuo illis annexum, tum etiam elementare prædita insignitaq; esse asseuerant. Cæterum corpulenti crassiq; illius uehiculi natura & contubernio in diuersum trahuntur: isthuc enim tum crescendo & decrescendo, tum sentiendo & mouendo recta prorsus agitatur motione, amboq; illa gyratione circuloq; moueri nata, suo ferri agitariq; cogit motu. Laborat igitur & fathiscit homo, tanquam præter naturam agitatus suam. Et profecto sic se res habet: præter naturam enim id merito censendum est esse, ubi meliora excellentioraq; peioribus & uilioribus parere coguntur. Verum ut alia de alijs emergere pullulareq; solent, & humanus plerũq; exiguæ occasionis initio multorum ferax est animus, quædam mihi de istiusmodi uehiculis nunc sese obtulerunt, quæ nihil prohibet (ut arbitror) hoc etiam in loco recensere: In diuinis enim legitur eloquijs Ezechielis prophetæ uisio, quæ hanc ad rem forsitan tendere uidetur: locus autem est, cum animalia quatuor illa aspectum ignis & ardentium lampadarum præ se ferentia, ire & reuerti in similitudinem fulguris coruscantis dixit, & præfigurauit. Ire nãq; & reuerti, circulo moueri potest intelligi. Cum enim sphæricum mouetur corpus in fine semper & principio motus sui merito exi-

Ezechielis. 1.

stimari

ſtimari poteſt, & tum ire, tum reuerti ueriſimiliter dicetur. Lampadum uero commemoratio, & flammarum coruſcantisq; fulguris, quid aliud ſignare uidetur, quàm æthereum illud corpus ardens & lucidum, aſtroq; ut diximus ſimile? Præterea rotæ apud eundem in rota ſimilitudo & motus, duorum inter ſe uehiculorum complicationem figuramq; & motus ſpeciem circularis innuere non immerito uideri poſſunt. Heliæ quinetiam in cœlum tēdentis ignitus ille currus ab Heliſeo conſpectus, huiuſmodi de uehiculis ſententiæ non iniuria quadrare poteſt: neq; hoc immerito mehercule, innumeras enim (ut magno placuit Dionyſio) hic etiam ſenſilis, nedū æthereus ille ignis præ ſe ferre uidetur proprietates & ſimilitudines, quæ ſuperioribus diuinisq; proculdubio quadrant cōueniuntq; naturis. Et ego hoc etiam in loco, multa alia à patriarchis prophetisq; myſtice dicta, & huc ſanè tendere uiſa in medio afferre poſſem: uerum ne id agamus nunc, temporis nos breuitas admonet, cui neceſſario eſt parendum. Hic Aluerotus, Ita me dij ament, inquit, Leonice, ut iſta mihi Academicorum dogmata adeo præclara eſſe, ſic rerum quadrare naturæ uidentur, noſtrisq; etiam conſentire decretis, ut non immerito illorum ducem, Platonem uidelicet, philoſophorum deum appellauerit Cicero, quidam etiam è noſtris philoſophiæ parentem. Cæterum quoniam de duabus animi poteſtatibus, ſenſitiua ſcilicet & mouente dictum eſt ſatis, quo'ue rationis modo tribus illis continenter conuenienterq; ſe inſinuent corporibus, ſufficienter eſt oſtenſum: De rationali etiam inrationali'ue, & de altrice illius ui quid uiri illi ſenſerint, ex te audire nūc uellem: quæ nā ſint illæ, & quibus primo appareant in uehiculis, & utrum ab illorū eſſentijs ſeparabiles

4. Reg. 2.

existant, an penitus separari non poßint. De ijs cum audire cuperem, uerererq; ne tu (ut sæpenumero euenire solet) sermonis fluxu, superfluentisq; copia materiæ aliò delabereris, iccirco te interpellaui, dicendorumq; legem nimis cupide fortasse, ne impudenter dicam, tibi imposui: uerum quæ tua est humanitas, amico ignosces, cupide quæ recta sunt noscere uolenti. Et Leonicus, Age, age, inquit, Aluerote, Siccine conuiuas accipis & tractas tuos, ut non solum quid comesse, sed etiam de quo loqui debeant arbitratu despenses tuo? quare sic fiet, quando tu ita iubes: noueris tamen quod isthæc ipsa, quæ nunc audire cupis, non ideo prætermisi, quia illorum oblitus essem, sed in alium planè distuleram locum, cum in animorum scilicet ascensu, de quo mox plura, hac etiam de re loqui cogitarem: uerum nihil prohibet, quando ita uobis placere uideo, hic etiam de illis loqui. Animaduertendum igitur est altricem animi partem, siue uim illam & potestatem, seu potius uitam appellare uoluerimus, quam nutritiuam recentiores uocant (ab ea enim ceu uitarum ultima incipere nunc uolo) in terreo crassoq; corpore suum habere esse, inseparabiliterq; illi inhærere, & cũ illo penitus interire. Huiusmodi autem officium est uitæ, cum sustentare corpus illud & nutrire, tum augere & in maius dare: assumptos enim ea conficit cibos & potus, digestosq; illos ad singulas eius partes transmittit & dirigit. Duratq; eousque hæc uitæ istius opera, donec cum hoc uehiculo in terris humanus degit animus, simulq; cum illo (ut diximus) perdito deperit & corrumpitur. Inrationalis autem uitæ species, in hoc ultimo animorum uehiculo suum utique non habet esse, sed in secundo illo, & aëreo collocatur corpore, quod illi sedes subiectumq; iure

esse

esse censetur: appetitiones enim, & desideria huiusmodi dicuntur esse uitæ germina: tum ambitiones, amores, odia, simultates: & ad summum omnia illa quæ animorum perturbationes & sunt, & merito appellari debent, hoc collocantur in loco, & ex ista nimirum pullulant uitæ specie, cum qua etiam diutius permanent, et opera ostentant sua. Rationalis autem uita, à qua characterem insigneq; suum humanus accipit animus, in primo illo simplici æthereoq; uehiculo merito collocari censetur: cum enim id primo uiuificet animus, sibi à rerum opifice indissolubiliter copulatum, immortali nimirum illud rationaliq; & purißima condecorat uita: quando, inquam, nō deuio fertur calle, æquabiliterq; cursum dirigit suum, & quādo (ut par est) inferioribus moderatur ratio, eorumq; dominatur, & non paret peioribus. Hoc autem sicut excellens diuinumque est opus, dum hic in terris degit animus, sic certè factu arduum, & difficile merito esse existimatur, pauciq; huiusmodi censentur notæ, quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus. Quapropter in Phædro diuinus ille Plato, ubi deorum uehicula tum æquabiliter riteq; ferri scribit, tum habenis aurigæque parentia, perpetuos agere circuitus dicit, statim subiungit alia animorum uehicula, de humanis loquens animis, qui ueluti asseclæ dominos comitātur suos, id ipsum summa cum difficultate & uix facere posse. Et hæc sunt quæ de tribus partialium animorum uehiculis, deq; illorum uitis et sensibus ex Academicorū deprompta sacrarijs in medium adducere habui. Nec me præterit de huiusmodi animorum uehiculis uarias antiquorum Academicorum fuisse sententias, & quasdam etiam omnino inter se distantes & contrarias, quæ ex multiplici Plato-

nicorum commentariorum intellectu originem habuerũt, quæ tamen à posterioribus iisdem'que legitimis eiusdem philosophi interpretibus non immerito fuerunt explosæ, quorum ego inhærens uestigijs, hæc quæ retro disserui, quàm breuiter dilucideq; potui pro ingenij mei captu, temporisq; breuitate collegi. Quare, si placet, antequàm is elabatur dies, qui iam ad uesperam inclinare uidetur, quod nobis reliquum est peragamus. Est autem ut de humanorum purgatione animorum, & eorundem ad supera ascensu, quæ uiri illi senserunt disseramus: isthæc enim noster etiam tetigisse uidetur Maro. Cæterum quod à principio sermonis nostri statim feci, isthuc itidẽ in præsentia sanè facio: admonitos enim uos esse uolo, ut cum animorum ascensum descensum'que auditis, huiusmodiq; prolata percipitis uocabula, non eos intelligere, qui corpori debẽtur motus, sed mutationes, siue emanationes quasdam, seu inclinationes ipsis peculiares animis, quas uix bene mehercule intelligere, nedum uerbis clarè exprimere declarare'que possumus. Dictum est enim in partialium essentijs animorum quandam mutabilem inesse naturam, non semper in eodem statu permanentem, sed uicissim alia post alia permutantem. Magna præterea (ut hoc etiã obiter dicatur) animorũ secundum Platonicos & diffusa est latitudo, neque ea tamen sine ordinis serie constituta: alij enim sunt ex eorum numero animi, qui in generationẽ descendunt nunquàm, id est, in corpus generabile non decidunt: sed æternam separatam'que & felicissimam degunt uitam: quales diuini sunt animi, illis'que quicunque sunt proximi. Alia autem animorum est series, quæ descendit quidem, & à meliori ad minus bonam delabitur uitam: uerum haudquaquam uitiorum inficitur

Animorũ ascẽsus & descẽsus quomodo intelligendi.

Varia animorum genera.

notis

notis, neq; quicquam subit mali, sed in puritate synceritateq; perseuerat sua: cuiusmodi dæmonum bonorum, nec non heroum animi esse censentur. Alij uerò cum descendere, tum maculari & infici nati sunt animi: uerum temporũ quibusdam curriculis purgari possunt, macularumq́; labem deponere, & rursum ad meliora redire, quales humani censentur esse animi. Quartum autem faciunt etiam animorum pessimum quoddam et maleficum genus, quo cadere potius quàm descendere dicunt, omnibus tum uitijs, tum malis commaculatum & deforme, quod neque ascendere posse amplius, neque uelle asseuerant, cuiusmodi perniciosos maleficosq́; dæmones esse autumant. Addunt quinetiam ijdem uiri, in summis illis primi ordinis animis neque secundum essentias, neque secundum actiones suas ullum reperiri posse uitium, quod in infimis animorum umbris, & quarto illo pessimorum genere, secundum horum utrunque proculdubio riperitur. In medio autem animorum ordine, id est, in humanis partialibusq́; animis (nam heroum bonorumq́; dæmonum animi secundum deos censentur) uitium quidem illorum non attingere affirmant essentiam, posse autem actiones maculare & inficere: & iccirco istos solos, ut ad priorem reuertantur naturam, purgationibus indigere, quas in hoc etiam terreo ostreaceoq́; corporis ergastulo humanũ asse qui posse animum dicunt, si obsequens illud, & minime rebelle, tanquam mansuetum habuerit animal. Ieiuniorũ enim abstinentijs maceratum, & cum precibus assiduis & intentis, philosophiæq; insuper studijs, tum expurgationibus lauacris ue quibusdam, & uaporum generibus suffitibusq; præparatum & cõcinnatum id corpus, liberiorem profectò & agiliorem efficit animum, & ad coniunctum

Animi qui purgandi ueniant.

iunctum etiam expurgandum corpus, quod secundum diximus animi uehiculum, mirum quantū facere uidetur. Et hoc est profectò quod Platonicus refert Porphyrius, cuius quia uerba huc spectantia teneo, nihil, ut arbitror, prohibet ea ut iacent ad literā inuersa totidem penè uerbis in medium afferre: ait enim ille: Quemadmodū aquarū latices illi, qui à montosis scaturiētes fontibus, per petrarum alueos deuoluuntur & fluunt, synceriores multo incorruptioresq; esse solent, quàm ij qui per cœnosa palustriaq; defluunt loca, quibus ut multam lutulētamq; secū attrahāt materiā est necesse. Sic animus is, qui sicci astricti'ue ministerio corporis uires tēperat exercetq; suas, melior proculdubio incontaminatiorq; est, & ad prudentiā expeditior, quàm qui ex redundanti plenoq; corpore idipsum efficere cōtendit. Fœdatur enim, & ueluti sordes cōtrahit animus, cum ira & gaudio, tum libidine & timore, cæterisq; huiusmodi extraneis affectionibus, quarum origo omnis & causa immodica esculentorū poculentorumq; licentia non ab re esse perhibetur. Quod etiam Heraclytus Ephesius innuere uidetur, cum dicit, Astrictū & siccum animū esse sapientiorē. Quamobrem cuiuis patere potest, ultimum hoc uehiculum, si rectè & non perperam agatur, nōnihil ad expurgandū animum facere posse. Extinctis enim, siue potius sedatis perturbationibus illis, quas in secundo ipsius uehiculo, cū in rationali uita sedem habere retro diximus, agilior profecto expeditiorq; efficitur animus, eosq; producere pennarū pullulos incipit, quibus ad supera nullo postmodum negotio euolare poßit. Sed quoniam magna hominum pars quo minus id facere poßint, & uitæ præsentis illecebris, & præposteræ educationis usu præpediuntur: quibus etiā extrema uitæ suf-

fragatur species, quam altricem appellauimus, quæ corpus hoc fouet & colit, & ueluti plus nimio indulgens nutrix, dum immoderantius pascit, eo ipso perditum it magis: exiens hinc animus, haudquaquam liber exire potest, & multum secū corporis abducat necesse est. Et eæ profecto pestes sunt & labes, quas in diuinis carminibus illis noster commemorauit Maro, cum dicit:

Quin & supremo cum lumine uita relinquit.
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.

Hæc enim post hominis interitum, terreiq; uehiculi dissipationem, in uita perstant inrationali, eiusq; elementali, siue aëreo corpusculo, in quo multis postmodum temporum curriculis humanus degit animus, cum quo etiam antè actæ uitæ perperam gestorum meritas luere pœnas dicitur: neq; hoc ab re mehercule. Diuina enim prouidentia, quæ omnia regit & temperat, non solius esse rerum, sed & ipsius bene esse (ut aiunt) decentem gerit curam: quapropter haudquaquam humanus ab illa negligitur animus, cum ad id quod præter naturam illi sanè est, fuerit delapsus, sed conuenientem ægritudinis suæ assequitur curationem. Et quoniam (ut aiunt) peccādi delinquendiq; ratio uoluptatis cuiusdam suasu, titillationeq; illi fuit acquisita, expurgari posthac dolore & cruciatibus nō immerito censeri debet animus: istic nanq; contraria etiam contrariorum sunt medicamenta. Quamobrem expurgatus utique languet doletq; animus ijs cruciandi pressus generibus, quibus affici apud inferos sontes perhibentur. Quod profecto haudquaquam fieri posset, si ab hoc terreo corporis ergastulo absque aëreo illo uehiculo liber



& abso

& absolutus exiret animus: non enim solitarius à corpore quicquam pati posset, cum materiales huiusmodi & actiones & passiones corporum non animorum naturæ propriæ & peculiares existant.

Ergo exercentur pœnis ueterumq́; malorum
Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad uentos, alijs sub gurgite uasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Pro delictorum enim in antè acta uita conditione, perturbationumq́; impreßionibus id uehiculũ nulla proportionis mensura aut dißipatum distractumq́; à calore immodico, aut econtrario à frigore gelu'ue immoderantius compactum & constipatum, dolore suo peculiariq́; cruciatu animum ipsum mouet & afficit, & propter illam quam Græci Sympathiam, nos naturæ cõcordiã appellare possumus, illum proculdubio cõturbat & grauiter dolere facit, non dißimili sanè rationis modo, quo hic apud nos corpore dolente, ob naturale quo illi afficitur uinculum, condolet & compatitur animus. Aliquandiu igitur, ut Pythagoricis Platonicisq́; placuisse uidetur, huiusmodi purgationis generibus, & debitis exercitus pœnis, apud inferos merito esse & plecti censetur animus, nondum à generationis regno absolutus, sed deorsum manens: quod profecto illi non cõtingeret si exiens liber ilico (ut diximus) & emancipatus, omni deposita corporis sarcina sursum fereretur. Sed (ut retro dictũ est) fieri non potest ut id illi prius contingat, & à generationis conditione absoluatur, quàm se ipsum conuenientibus temporũ periodis expurgauerit. Quoniam enim αὐτοκίνητος, id est, se ipsum mouens, & à se mobilis humanus est animus, & naturali quadam uoluntatis ratione ab ipso effluit deciditq́; bono

(mutabilitatem enim quandam in illius essentia reperiri diximus) ut rursum ascendat sursumq́; feratur, sponte sua ipsum à se ipso expurgari necesse est. Nam pœnarũ apud inferos loca conditiones'ue haudquaquam animũ sursum reducere queunt (non enim ea illorum est uis) uerum id solum efficere ualent, id tantum illis acceptum referẽdum est, quòd animos scilicet conuertunt, & admonent, & ut sese respiciant faciunt: qui postmodum se ipsos dignoscentes proprio peculiariq́; quodã naturæ suæ impetu & appetitione quam ὁρμὴν Græci uocant, seipsos expurgant: uolentesq́; & sponte sua id sanè exuunt, quod antea uolentes & sponte sua induerant. Vinculaq́; uoluntarie disrumpunt illa, quibus uoluntarie antea fuerant præpediti. Quamobrem ijdem postmodum subiungunt uiri, de Zoroastis, Mercurijq́;, necnon Pythagoræ, & Platonis sententia asseuerantes, partiales animos, posteaquàm apud inferos multa diuq́; perpeßi fuerint, legitimũq́; purgationis expleuerint tempus, plus minus'ue secundum ea, quæ perperam in priori gesserant uita, ceu à generationis absolutos lege, simul cum aëreo uehiculo iracundiam appetitionemq́;, et omnino uniuersam inrationalis uitæ speciẽ deponere, liberosq́; iam et ab ijs quæ deorsum humiq́; eos detinebant absolutos, posthac in æthereo illo puroq́; corpusculo, quod à summo rerum opifice fabrefactum perpetuo illis annexum esse diximus, totũ illustre, rotundumq́;, & astro simile, cum cœlestibus dijs felicem beatamq́; agere uitam. Et tunc demum naturæ restituti suæ, uereq; ad patriam reuersi, partiales cẽsentur animi, qui eousq; extorres peregrini'que merito existimari poterant. Quam ob rem ut eò citius perueniri poßit, ore Pythagorico Zoroastis fertur ænigma hoc modo nos admonẽtis, μὴ πνεῦμα

μολύνης

μολύνῃς, μηδὲ βαθύνῃς ἐπίπεδον, quod totidem uerbis inuerſum Latinè ſonat: Ne fœdes ſpiritum, ne'ue profundum facias planum. Per ſpiritum & planum aëreum (ut aiunt) illud ſignificans uehiculum: non quia corpus non ſit atque profundum, ſed propter tenuißimam ſplendidiſſimamq; puritatem, quaſi non corpus eſſe cenſetur. Præcipit igitur & nos admonet Zoroaſtes, ne propter terrei caduciq; affectionem corporis cogamus hoc ipſum etiam corpuſculum, dum à præſenti abſcedit uita, impurum ſordidum'que, & ueluti ſtigmatibus quibuſdam inſignitum iſtinc abſcedere. Cæterum locus iſte me admonere uidetur, ut priuſquàm ad alia pertranſeam, digrediar paululum, dicam'que etiam, quonam cultu cura'ue aëreum hoc corpuſculum, dum adhuc in terris degit animus, cuſtodiri integer, conſeruariq; poßit: quod profecto etſi pro parte retro dictum eſt, dum terrei corporis pro animi ſalubritate curam enarrauimus: quia tamen uiri illi Zoroaſti præceptum explicantes, nonnulla hac etiam de re memoriæ mādauere, nihil prohibet opinor illa nunc etiam breuiter percurrere. Aſſerunt enim corpuſculum illud proculdubio ali & nutriri, non autem eo quo terreum hoc corpus alitur modo: ſed uaporibus quibuſdā ſuffituumq; generibus: non quadam ſui parte receptis, & in alijs rurſum partibus confectis & digeſtis, quod in hoc terreo corpore altricem efficere diximus uitam, ubi etiam diuerſa uarios ad uſus uiſuntur inſtrumenta, ſed totum per ſe totum ali, non alio ſimiliori quàm ſpongiarum exemplo, quæ ſe totis nutrimenta capiunt, recepta'que conficiunt, & illis nutriuntur. Quamobrem uiri inquiunt boni, qui huiuſce rei curam gerunt, nonnihil ſtudere uidētur, ut ſubtilioribus ſiccioribus'ue utantur cibis. Inedia

quinetiam

quinetiam corpus hoc terreum macerant, & conficiunt, ne ſpiritale illud craſſeſcat uehiculũ, ſed purum, tenue ue, & naturæ ſuæ conforme quàm maxime reddatur. Expurgationes præterea, & myſticas adhibent cæremonias, ut id cõmodius aſſequi ualeant. Nanq; ut terrea iſthæc craſſaq́; corporis moles aqua diluitur & niteſcit, puraq́; ut eſſe poteſt, lauacris & nitro ſmegmatibusq́; quibuſdam redditur: ita ſpiritale id animi corpuſculum cum ieiuniorum abſtinentijs & precibus, tum luſtrationibus ſuffituumq́; generibus quibuſdam, ad naturam reuertitur ſuam, puramq́; & tenuem acquirit ſynceritatem. Quamobrem poſt terrei interitum corporis, cum hoc aërio corpuſculo ſic probe curato, non diu apud inferos & in generationis regno humanus perſtat animus, ſed illo etiam exutus, æthereum illud ſempiterno ſibi annexum (ut diximus) regit gubernatq́; corpus. Verum ſi ſecus ac dictum eſt huiuſmodi concinnatum curatumq́; fuerit corpuſculum, impurus'que cum illo à terris abſceſſerit animus, longo quodam temporis ſpatio uagari illum, & cum hoc corpuſculo per inuia, deſertaq́;, & ſqualentia terrarum loca diu errare aſſueuerant. Ex quo etiam ſimulachra quædam plerumq;, & hominum ferarumq́; ſimulitudines, & idola, necnon ſilentes umbrarum effigies circa tumulos & ſepulchra uideri refert Plato. Non enim id quod cernitur, animus eſſe cenſetur, ſiquidem ſub cõſpectu non cadit ille. Sed impurus (ut aiunt) is ſanè eſt animus illo utens aëreo corpuſculo, quod multum ſordium à terreo craßi corporis contubernio ſecum attraxiſſe uidetur: quod etiam impura poſtmodum uſus diæta terrenoq́; infectus halitu craſſeſcit, & cerni nimirum uideriq́; poteſt, haud expreßiori ſimilitudinis argumento, quàm aëris, qui purus quidem exiſtens, & uiſioni

peruius, haudquaquam cernitur: si uero coalescat, & in nubem cogatur, crassescit certe, formasq́; capit uarias, & bene conspici uideriq́; potest. Quam ob causam uero consentaneũ existimari potest impuros hos animos, cum consimilibus sui corpusculis errãtes, & uagos, alia rursus corpora, cum ferarum, tum hominum ingredi, quorum contubernio societateq́; adeo plerunque gaudeat, ut uix inde postea extrudi auelli'ue poßint. Et fiunt hominis illius nouißima, ut inquit Veritas, peiora prioribus. Cæterum non unus solummodo, sed simul etiam plures impuri huiusmodi spiritus idem sæpenumero ingredi occupareq́; possunt corpus, quod uexant profecto postea, & male habent, nisi in precationibus quibusdam, & mysticis carminũ quorundam excantationibus, operose mehercule, & difficulter admodum, inde extrudantur. Sed quoniam satis iam euagati sumus (si placet) unde digreßi fuimus reuertamur. Humanos dixeramus animos propriæ restitutos naturæ, & ad patriam postliminio reuersos, cum connato sibi indissolubiliter corpore beatam degere uitam. Quamobrem id quod in Platonis Phædro Socrates loquitur, isthuc mehercule innuere uidetur: dicit enim animos cum ex lethea emerserint aqua, id est, cum à generationis conditionibus liberi euaserint, annatis sibi denuo pennis, quas antè amiserant, altius euolare, eoq́; loci peruenire, ubi primo cœlestem cum mundanis simul dijs, deinde supercœlestem cum supercelestibus circuitum agant, eo scilicet ordine, ut alij cum alijs ibi numinibus circumuagẽtur, huiusmodiq́; circuitus alternis repetant uicibus: quam nimirum felicitatem beatæq́; uitæ conditionem, idem etiam in Platonis Symposio Socrates augere, & in maius dare uidetur, cum dicit purgatos animos, qui diuinam præ cæteris pulchritudinem

dinem amauerunt, in ipsum tandem diuinæ pulchritudinis pelagus sese prorsus immergere, diuinosq; ibi liquores, non tantum bibere, sed illis ebrios etiã factos in alios iam ex seipsis transfundere. Cæterum in Epinomide supremũ beatitudinis felicitatisq; colophonem cõcludit Plato, ubi ait animum purgatißimum, omni tum mutabilitate firmata, tum multiplicitate collecta, sese in propriam peculiaremq; unitatem, intellectu ipso superiorem, penitus colligere & conferre, per hancq; statim in unitatem diuinam, intelligibili mundo superiorem, iam transferre, deoq; potius uiuere, quàm seipso, cui certe mira quadam super intelligentiam ratione sit coniunctus. Et hæc profecto uera est felicitas, diuiniq; iam effecti animi suprema beatitudo. Id autem effici uult Plato diuina quadam luce, quæ profecto non aliter in mente refulgeat, quàm si amore dei accensus prorsus animus, in ipsum transformetur Deum. Ex quo nimirum diuinum amorem in Platonis Phædro omnibus diuini furoris gradibus animiq; bonis longißime præposuit Socrates. Quibus profecto consentire attestariq; uidentur multa illa & præclara, quæ in sacris nostratium elogijs de amore et charitate scripta reperiũtur. Sed iam, si placet, receptui canamus: nam & de ijs quæ fuerãt proposita satis (ut arbitror) pro uirili à nobis est pertractatum: & diei iam finitæ terminus, ut loquendi etiam finem faciamus, non immerito nos admonere potest: nisi fortasse uobis aliter uidetur. Et Aluerotus, Profecto, inquit, Leonice, & nobis abunde (ut pro ijs etiam loquar) hac de re in præsentia satisfactum esse confiteor: & ea sanè dixisti, quæ tum uniuersam nobis Platonicam scholam totis (ut aiunt) foribus aperuerunt, tum Maronis nostri luculentissima illa diuinaq; carmina adeo explicauerunt, ut nunc

demum mihi illa exacte clareq; intelligere uidear. Antè enim, ut in diei splendore oculis captus cernit quidem ille nihil, aliqua tamen solis claritate perfunditur: ita ego in rerum tantarum luce nonnulla superficie tenus dignoscēs, ad interna reconditaq; planè cæcutiebam. Verum quædā (ut opinor) restare uidentur, de tribus scilicet illis uersibus iam recitatis, qui alios mirifice claudere, & eleganter componere uisi sunt: nihil enim de illis est pertractatum. Quamobrem si de ijs etiam aliquid in medium adduxeris, & nobis certe omnibus abunde satisfeceris, & natali insuper meo conueniētißimam disputationis coronidem imposueris. Sunt autem carmina illa (ut nosti) huiuscemodi,

Has omneis, ubi mille rotam uoluêre per annos,
Lethæum ad fluuium deus euocat agmine magno:
Scilicet immemores supera ut conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in corpora uelle reuerti.

Animos mille annos uagari: quid sibi uelit numerus ille millenarius.

De animorum enim descensu, & ad superos regressu qui statis quibusdam temporum spatijs eueniunt, à te retro dictum est, quando de mutabilitate cum animorum essentijs connata, cuius gratia neq; semper sursum, neque deorsum semper partiales perstant animi, sed per uices eunt redeuntq;, uerba fecisti. Verum quidnam sibi uult annorum numerus ille, quem scribit Maro, sicco (ut aiunt) calce pertransisti: quare si quid ab illis habes quod in medium afferre poßis, nobis recēsere ne graueris: nisi fortaße finitus ille & terminatus pro indefinito à Marone hoc in loco positus est numerus. Et Leonicus, Vera, inquit, narras Aluerote, neq; numeri me illius fugerat ratio. Sed quoniam annexam secum illius speculatio profundißimam de fato habet quæstionem, cuius disquisitio & longa sanè est, & plus certe uirium requirit, quàm meas eße nunc sentio, iccirco consul

consulto ab ijs destiti. Humani nanque animi dum sursum manent, à fatali prorsus necessitate sunt liberi: cum autem descendunt, quod natura sponteq́; sua illis proculdubio euenire diximus, sub fati necessario legibus constituuntur: cæterum plus minus'ue, ut plus aut minus corporibus addicti fuerint suis: qui enim bene uixerint, & in terris cœlestem (ut aiunt) egerint uitam, philosophiæq́; ueris mysterijs fuerint expurgati, ij profecto hoc etiam in loco possunt puri liberiq́; degere, & ab omnibus ijs, quæ fatali apportantur lege, uere sequestrari: nisi quantum summa est necessitas, ut illis propter cognationem coniunctionemq́; corporis communicent, & obsequantur. Et istiusmodi fortasse est quod inquit ille, Sapiẽs dominabitur astris. Huius quinetiã notæ excellens est ille uir qui in Theæteto à Platone describitur, qui corpore quidem in terris est, mente autem supra cœlos uersatur, neq; ubi nam terrarũ sit animaduertit, atq; etiam id ipsum quod nesciat, nescit. Qui autem corporibus addicti sunt animi, ad illaq́; uergunt & nutant, contrario certe se habent modo. Curant enim quæ curanda non sunt, eaq́; negligũt, quæ summo studio quærere sectariq́; deberent: quare fati eos subijci legibus summa est necessitas. Quòd si in peius etiam ruant, mortaliq́; uitæ & irrationali fuerint emancipati, tanquam abdomini seruientes belluæ, tunc serui penitus obnoxiaq́; fato fiunt mancipia: illis enim posthac utitur fatum, tanquam omni ratione carentibus. Elegerũt nanq; illi hanc uitæ speciem, & eligentes merito sibi conuenientem degunt uitã. Sed isthæc (ut dixi) pulcherrimas prolixasq́; de fato disceptationes nimirum secum afferunt, in quas profecto dum me abstinere prædico, prudens sciensq́; pene incidi: quas forsitan tentare aliàs conabimur: nunc quominus id facere

 possimus,

poßimus, temporis excludimur angustijs. Nihil tamẽ prohibet quod expostulas Aluerote, ut de Maroniano etiam annorum numero aliquid in præsentia breuiter in medium adducamus. Statum quendam animorum circuitum mille annos Academici esse uoluerunt. cum hos nomino uniuersam à Zoroaste Mercurioq́;, mox à Pythagora et Platone descendentem philosophiam intelligi uolo. Mille inquã annorum periodum partiales animi, siue recte, seu secus in terris uixerint, aut in cœlis cum dijs (ut diximus) aut in pœnarum apud inferos locis, antequam ad secundarum electionem uitarum deueniant, transmittere dicuntur. Et hanc statam decretamq́; animorum periodum esse autumant, secundum quam uices exercent suas, unusq́; descensus in illa, unicusq́; ascensus unicuiq; partiali debetur animo: cum neq; sursum manere (ut diximus) incommutabiliter poßint animi, neq; rursus deorsum semper stare illis sit concessum. Cuius profecto rei hanc etiam esse uolunt rationem. Hominis aiunt ætatis esse mensuram & terminum centum annos, quemadmodum etiam in Platonis Politia determinat Socrates. Is enim numerus, cum à denario numero quadratus existat, qui sanè in se omnes numerorum continet species, quas capitales arithmetici uocant numeros, & excellentis nimirum esse naturæ, & inferiorum animalium excellentißimo homini, qui illius uitæ claudat periodum, non immerito attributus esse censetur. Porro is numerus si per decem multiplicetur, & ex quadrato efficiatur solidus & cubus, Maronianũ illum mille annorum reddit completq́; numerum. Decies enim decẽ decies, millenum faciunt numerum, qui & cubus sanè est, & ab illis χθόνιος, id est, terrestris appellatur, ob firmitudinem, inconcussamq́; stabilitatis rationem, terræ elemento tanquã peculia

pecularis & affinis aßignatus. Dicunt igitur hunc animorum conuenientem esse circuitum, & ceu mille annorum peregrinationem quandam, à generatione uidelicet ad generationem alteram, ut decupla sit illis uel delictorum malorumq́; præteritorum apud inferos expensio, uel econtra recte factorum in terris penes superos merces & compensatio. Hæc Academici de partialium naturis animorum Aluerote, ut ex illorum commentarijs percipi dignosciq́; potest, proculdubio sensisse uidentur: quæ ego eatenus (ut retro dixi) approbanda tenendaq́; censeo, quatenus nostris, id est, Christianis concordant quadrantq́; dogmatibus: alia autem quæ non eiusdem sunt notæ, neq; sentienda omnino, neq; admittenda esse contendo. Quantũ enim quisq; ab illis discesserit, tantum profecto à rerum natura ueritateq́; ipsa elongari aberrareq́; certißimum esse iudico. Hæc cum dixisset Leonicus, finem loquendi fecit. Sub ijs dictis introducti tibicines quidam, tibijs præclarißime cecinerunt, intentosq́; præterita disputatione conuiuarum animos concinna modulationis harmonia relaxarunt. Et quoniam iam instabat aderatq́; nox, remanentibus cum Alueroto alijs, Ego & Leonicus & Hieronymus frater circiter accensis luminibus inde discesßimus. Habes Capella Alueroti conuiuium, in quo etsi quæ ad corpus pertinebant epulæ, decentes sanè sumptuosæq́; fuerant, longe tamen animi escis, quibus à Leonico copiosißime fuimus accepti, inferiores uilioresq́; merito existimari possunt.

Verum memineris eius, de quo paulo antè conuenimus, ut tu mihi inuicem cras operam præstes tuam. CAP. Memini: & ita fiet.

PERIPATETICVS, SIVE, DE NOMINVM INVENTIONE.



EQVEO profecto satis coniectari Leonice, quid nam sit illud, quod de rerum nominibus asseuerare te uideo: natura scilicet rebus constare nomina, & non hominum consensu, arbitrio'ue iisdem fuisse imposita. Nemo enim (ut opinor) istihuc tibi cõcesserit: nisi sicui forte tunicas etiam, & calciamenta à natura fieri, & singula, quæ usu artificioq; adinuenit uita, natura constare uideri poßit: ut inde uniuersæ artes, & hominum uaria inuenta de medio prorsus tollantur: Ego profecto tibi uel omnia, in re præsertim literaria, facile concedere possem: uerum hæc quæ paulò antè dixisti (pace tua dixerim) nec iuranti quidẽ credam. LEON. Nec mirum Alexander: pulchra enim (ut in prouerbio est) ardua existunt, nec cuiuis ex facili sese offerre consueuerunt. Verum cum tu tali ingenio, tantáq; eruditione uir, hac de re non modo non ambigas, quod à plerisque fieri solet, sed in alteram potius partem totus incumbas: quid isti facere debent, quorum mens neque doctrina planè ulla, neque rerum usu concalluit? An non tibi Platonis Cratylus perlectus, & excussus bene est, ubi hac de re uniuersa ferè absoluitur quæstio? Solebas enim (si rite memini) philosopho illo mirifice delectari, & in commentariorum eius aßidua lectione quàm maxime uersari. Quamobrem admirari satis non possum, cur profundè adeo hæc in te sententia insederit, ut Platone etiam refragante an-

nitente'ue, stirpitus conuelli non poßit. ALEX. *Hoc ipsum est Leonice quod me distrahit, & ambiguum animi hac in re ancipitemq; diu habuit. Nam cum Platonem ipsum audio, nihil est quod sanè dubitem: totus enim ex illo pendeo, & in illo sum totus: adeo sententijs me suis uir ille & apte copiose'que fluentibus uerbis implet & obruit. Rursum cum ad Aristotelem Peripateticos'que me conuerto, qui rationibus alijs, necnon communi hominum sententia me inde transuersum rapiunt, alius statim fio, & ueluti leuißimus transfuga, priorẽ mentis habitum nullo negotio commuto, neque quo loci consistam satis perspectum habeo, sed huc illuc nouus ego & ridiculus Proteus, formam de forma uarians, facile delabor & feror.* LEON. *Mira profecto de te narras Alexander, sed tamen quæ tibi bene credi poßint: uerum cur non Menelaum aliquẽ hic, aut Aristeum reperire curasti, qui procacem hunc, fluentem'que Proteum, si non aliter, uinculis saltem coërcerent, & ad ueram illam, stabilem'que mentis effigiem redire compellerent? An non sunt hac in urbe uiri plerique cum ingenio & doctrina, tum rerum etiam usu præstantes, qui Academicorum ac Peripateticorum placita iure sibi uendicant? quos iampridem consultos oportuit, ut ijs rerum ambagibus explicareris.* ALEX. *Quos tu uiros narras Leonice? An'ne quæstuarios istos, qui se philosophos nominant, qui'ue miseras literulas compendij habent loco, quos annua mercede conductos, uilibusq; addictos salarijs, palàm profiteri uidemus?* LEON. *Hos ipsos dico Alexander, etenim uariantem hunc Proteum fortasse compescuissent, & te hac mentis inconstantia & perplexitate facile liberassent.* ALEX. *Non mihi hos, per Deum immorta-*

In sophistas nostri temporis.

lem Leonice, qui sine honoris præfatione honeste nominari non possunt: tantum enim abest ut ab istiusmodi exculti aliquid eruditi'que discas, ut econtrario si quid eruditi prius excultiq; didiceris, cum ad illos accesseris, eorum contagio proculdubio dedocearis oportet. An non ego decem integros annos horum auditoria, ne dicam lustra, assidua contriui opera, omnesq; illorum ineptias, & futiles captionum trichas, siccis (ut aiunt) auribus ebibi? anxiè semper quæritans, si quid inde excerpere possem, ne uacuis, quod dicunt, manibus, & oscitans domum redirem. Verum, dij immortales, quam rerum inanitatem apud illos, quantam bonarum literarum solitudinem reperiri: in quo tamen, ut in malis, nihil mihi magis sapere uisus sum, quàm quòd cum illis desipere aliquando destiti, neq; per omne uitæ spatium, ut plerique solent, in cœnosa illa ignorationis uoragine demersus contabui. LEON. Stomachari mihi horũ memoria fastidiose uideris Alexander. ALEX. Et cur non stomacher Leonice? aut non euomam potius, cum sordidissimos hos scurras inter eruditos uiros connumerare te senserim, & in philosophorum numero recensere? Quamobrem rogo te, ut hos in præsentia missos faciamus: indigni enim sunt, de quibus serio uir quisquam probus loquatur. Et quoniam in præsentia (ut uidetur) uacuum te esse conspicio (quanquàm semper aliquid cogitas & excudis) rem profecto mihi gratissimam feceris, si de hoc ipso, de quo superius me ambigere dixi, quippiam quod lectione uaria, cum Græcorum tum Latinorum autorum conquisitum & depositum custodis, in medium afferre uolueris. Scio enim quàm diligens sis, & quàm exactus ubiq; pensiculator, ijs præsertim in rebus, de quibus inter antiquos illos primarios

marios maxime uiros, aliquid subesse controuersiæ uideatur. Deprome igitur de penu tuo aliquid, quod me pascat, & satiet: nam quod oblectare ualeat, haudquaquam dubito. LEON. Callidus es Alexander, & id proculdubio in præsentia mihi agere uideris, quod ueteratores sæpenumero, ad eos quos fallere cupiunt, facere solent: qui cum mirifice semper illos laudent & extollant, tum inuicē ea quæ illis grata, aut ingrata esse cognouerint, omni studio aut summopere laudant, aut contrà penitus proculcant & deprimunt, ut illis sensim istiusmodi insinuentur blanditijs, & obsequentes posthac captos'ue quò uelint facile deducere poßint. Sic tu partim mea extollēdo, quæ alioqui mediocria esse cognosco, partim sophistas hos insectando uellicādoq́;, cui me infensum nationi nō ab re existimas, huc omnino tendere uideris, ut quid hac de re sentiam, omni prorsus elicias studio. Sed nulla est inuidia, quando hoc tibi placet, & tēporis hæc nobis grata commoditas casu quodam opportune sese offerre uidetur. Vergit enim iam ad uesperam dies, quod temporis ego lectione intermissa uacuus, curandæ ualetudini tribuere soleo, & exercitationibus, inambulationibus'ue operam impendo: quare tibi pro uirili mos geretur. Sed utrum'ne mauis, sedendo, an deambulando negotium hoc peragamus? ALEX. Vt lubet Leonice: uerum ne quid de consuetudine incommodo detrahas tuo, si placet deambulemus, nam utrunque (ut arbitror) percommode facere poterimus. LEON. Recte dicis Alexander & Peripateticam alioqui controuersiam non inconcinne deambulando explicare & componere tentabimus. ALEX. Quid? tu peripateticā Leonice hanc appellas controuersiam, & non potius (ut est) Peripateticorum cum Academicis

demicis dissensionem? Inter Peripateticos enim nulla hac de re (quod sciam) huc usque intercessit lis: sed uniuersa inter duas illas, siue sectas seu hæreses uocare mauis, isthæc est disceptatio. LEON. *Excitasti Alexander hoc in loco non contemnendam sanè quæstionis occasionem, quam forte non erit malum breuibus recensere, ne posthac rursum, si quid huiusmodi audiueris uelut nouum admireris.* ALEX. *Quid hoc rei est? edissere Leonice: Lucrum nanque ex insperato fecero, si quid reconditum elegansq; hoc loci ex te audiuero. Etenim id quod præter operam est, plerunque opera ipsa non ingratius euenire solet.* LEON. *Nihil reconditi, abstrusi'ue audies Alexander, sed ea tamen audies, quæ ingenio cuique ignorare quidem turpe est: cognoscere autem, etsi non admodum gloriosum (quid enim in parua historiuncula esse potest?) elegans tamen, & eruditum merito existimari potest: hoc autem est quod dicere uolebam, Peripateticos Academicos'que non diuersa diuersorum esse cognomina, ut plerique falsò existimant, sed apud ueteres rerum scriptores omnes illi qui postmodum in Academicos Peripateticos'que fuere disterminati, à Platone Peripateticos primo fuisse appellatos.* ALEX. *Quonam modo isthuc dicis? non enim intelligo.* LEON. *Peripateticos inquam Alexander, omnem Platonicam familiam in primis cognominatam fuisse memoriæ proditum est: quod sanè nomen à deambulandi usu deductum fuisse, uel ipsa uocabuli significatio palàm facere potest. Consueuerat enim diuinus ille uir, ut apud Ammonium, & plerosque alios legitur, cum non minus corporum, quàm animorum curam habendam esse censeret, utrisque coniunctim salutaria præbere remedia: & corpus quidem*

Peripatetici qui dicantur.

laboribus

laboribus exercitationibusq; uegetum & ualens reddere: animos uero disciplinarum studijs, moribusq; excolere: hinc ambo ista apte coniungens & copulans, semper ferè familiares suos in Academia deambulando docere perseuerauit: uniuersum'que literarium illic negotium inambulationibus planè transigebatur. Quamobrem omnes illi qui Platonem audire consueuerant, sunt Peripatetici cognominati. Cæterum Platone è uita sublato, Speusippo'que eius ex sorore nepote, qui ei ceu hæreditario quodam iure in Academia successerat, paulo pòst uita functo, bifariam Peripateticorum diuisa est secta: & ij quidem Aristotelem Stagyritem ex Macedonia: illi uero Xenocratem Chalcedonium secuti sunt, qui in Academia docere perseuerauit. Aristoteles autem cum suis in Lycium (nomen autem porticus Athenis erat Lycium) transijt, ibidem'que docere instituit. Ex qua Peripateticorum distractione ab ipsis sanè locis, ij quidem Academici, illi uero Lyciaci sunt cognominati, cum utrique tamen Peripatetici à docendi (ut dictum est) modo ab omnibus planè fuerint appellati. Postmodum autem, ut fieri consueuit, Aristotelis sectatores nomen quidem, quod sibi à loco inditum fuerat, amiserunt, commune'que illud à deambulandi officio cognomen, ceu peculiare quiddam & proprium, retinuerunt, & Peripatetici tantummodo sunt appellati: contrà Xenocratici priori obliterato nomine, loci cognomines facti sunt, & solum Academici ab omnibus perseueranter cognominati. Non igitur perperam (ut arbitror) neque temere sum locutus, quando hanc de nominibus disceptationem, de qua mox pertractabimus, Peripateticam controuersiam esse dixi. Peripateticum enim cognomen

Speusippus.

Peripateticorũ duæ sectæ.

Lycium.

Academici. Lyciaci.

Peripatetici.

Academici.

à Platone

à Platone ortum, omnibus Platonis discipulis & assertoribus optime conuenire uero consentaneum est. Nec me præterit tamen M. Ciceronem in Academicis suis hac de re aliter memoriæ prodidisse: uerum quæ nam uirum illum mouerint causæ, in præsentia recensere non cogito: longior enim esset digreßio, quàm isthæc temporis patiatur angustia, & alioqui multa nobis interim ad institutam disceptationem sunt discutienda. Quamobrem in præsentia hac in re Græcos sequamur autores. ALEX. Ita uiuam Leonice, ut hæc me res hucusque latuit: quare multam tibi sanè habeo gratiam, qui mentis meæ, cæcutientes alioqui & obtusos, oculos, hac ueritatis luce perfuderis: sed perge obsecro te ad eam quam de nominibus inceperamus quæstionem. LEON. Ita faciam, quando hoc tibi placere nunc uideo: uerum memineris me hac de re philosophorum more pertractantem licentiosiori docendi genere uti decreuisse, ne forte à me accuratam, excultam'ue exigas uocabulorum, & styli elegantiam. Noua enim & externa introducenda sunt nomina, & Græcis plerunque utendum, ubi nos Latina defecerint, ut res commode explicari dignosci'ue poßint, circa quas uniuersam ferè philosophantium operam absumi par est. Dabis igitur ueniam, si quod insolens, nouum'que uerbum delicatas aures tuas perstringens offenderit. ALEX. Non est quod ita mecum agas, perge modo ea dicere, quæ planè intelligam: nam quo id dicas modo, & an splendidè Latineq; prolatum sit quippiam, aut secus, haudquaquam laboro. LEON. Audi igitur Alexander, quando ita es animatus. Duas de inuentione, & ueluti genitura, nominum inter se diuersas antiquorum fuisse sententias certum est: unam Heracliti, eiusq; sectæ

Heraclitus.

sectæ philosophantium, qui ab illo Heraclitici sunt denominati: alteram Parmenidæorum quorundam, inter quos nō ignobilis sanè assertor fuit Hermogenes, quo Plato (ut perhibent) in ijs quæ ad theologiam pertinebant, usus est præceptore: sicut in physicis Cratyli Heraclitici auditor fuisse dicitur. Et primi quidē nomina sola constare natura dixerunt, nihilq; in ijs formādis aut inueniendis hominum effecisse consensum. Secundi uero adeo non esse rerum naturæ effectiones nomina affirmarunt, ut pro mero etiam cuiusuis arbitrio confirmata, & rebus aßignata impositaq; fuisse dixerint. Et Heracliticos quidem sequi uidetur Plato, qui in Cratylo Socratem de recta nominum ratione disserentem inducens, ipsorum effectionem rerum naturæ facit ascribere. Aristoteles autem, & qui post eum Peripatetici fuere cognominati, in altera omnino censentur classe, eorum scilicet, qui nomina hominum consensu rebus imposita fuisse uoluerunt. Vnde posterioribus (ut opinor) facilis suspicandi data est occasio, philosophos hos hac ipsa de re diametro (ut aiunt) inter se dissentire, quod tamen nos minime uerum esse euidentißimis certe signis rationibusq; pro uirili demonstrare contendemus, si prius illorum sentētias philosophorum, quibus'ue nitantur rationibus, in medium summatim, clare'que adduxerimus. Hoc ipsum igitur, si placet, prius facere aggrediamur. ALEX. Imo ita placet, ut nihil mihi unquam magis. LEON. Nomina Academici natura ipsa, & non hominum arbitrio constare, Alexander, hoc dicebant modo: Nam cum uoces quasdam esse uellent nomina: In uocem enim, tanquam in genus, uniuersam eius complectens essentiam, omne sanè refertur nomen. Voces autem naturæ, non artis sunt opera: iccirco

Heraclitici. Parmenidæi. Hermogenes Platonis præceptor. Cratylus.

iccirco & nomina ipsa talia esse oportere affirmabãt naturæ rerum effectiones, & non hominum consensu industriaq; excogitata signa. Præterea cum orationũ alia quidem uera, alia autẽ falsa esse dicatur, orationis ueræ partes cum illius sint partes, & ipsas necessario ueras esse oportere: & itidem falsæ orationis partes falsas esse constare: orationis autẽ partes esse nomina: quãobrem nominum ipsorum hæc quidẽ uera esse, illa autẽ falsa asseuerabant. Non autẽ eo uera modo & falsa dici nomina, quo orationẽ ueram uel falsam dicere consuetũ est. Orationis enim ueritas illa & falsitas, ex cõplexione fieri perhibetur, ita ut res sunt, uel non sunt designatæ. Nomina autem simplicia esse, nihilq; huiusmodi signare posse: sed dici uera esse nomina, quia res ita ut sunt, magis, quàm ut arbitrio placet nostro significanter declarent: cõtra falsa existimari nomina, quoniam rerum naturæ non belle conuenire quadrareq; uideantur. Nullo igitur consensu nostro indigentia, ut uel falsa sint, uel uera nomina natura ipsa constare uerisimile est. Sed & hoc etiam instabant modo: Sicut rerum essentias natura ipsa existere certißimum est, nulliq; omnino dubium: ita earũ actiones paßionesq; naturales esse proculdubio est censendum: ab essentia enim has deriuare & fluere clarißime animaduertitur. Vt si rem aliquam (uerbi causa) secare studeamus, non tam pro libidine nostra hominumq; arbitratu, quàm pro rei ipsius natura id faciamus oportet, & eo etiam instrumento, non quod nobis placuerit magis, sed quo id aptius diuidi secariq; poßit, utamur. Nominare autem cum actio quædam effectioq; sit, & ideo naturã sortiatur essentiæ, non esse sicuti nobis, sed sicut rerum naturæ maxime placet, cuius instrumenta sunt nomina, ad res naturali modo signandas,

gnandas, & non pro libidine arbitratuq; nostro, rebus ipsis accommodata. Quod hinc etiam clarissime posse patere dicebant: non enim cuiusque esse tale reperire instrumentum, cuiusmodi uera censentur esse nomina, ad res scilicet rite discernendas, audientesq; optime docendos adeo accommodatum, uerùm artificis cuiusdam nominum inuentoris, qui cum prudentissimus esse deberet, rerumq; naturæ indagator solertissimus, rarissimus profecto esset inuentu, qualem illi Dialecticum suum esse uolebant, omnibus liberalibus disciplinis, & morum etiam uirtutibus insignitum & conspicuum, qui ad ipsas rerum ideas mente conceptas intuens, instrumentum illud luculenter inde commodeq; posset elicere. Imagines enim rerum esse nomina, & eorum censeri finem, rem sicut est, nobis quadam illius similitudine apte signare, & non hominum arbitrio consensu'ue, sicut inania & surda temere sonare. Nominum præterea partitionem secundum rerum ordinem distributam disterminatamq; esse dicebant, & alia quidem diuinis rebus conuenire nomina, alia uero his quæ sensu & opinione comprehenderentur. Vnde & uatem Homerum recte sensisse dicebant, cum alijs deos usos esse nominibus, alijs homines eadem in re memoriæ prodidisset: ut illud, Quem Xanthum dij uocant, homines uero Scamandrum. Et rursum de uolucre, Chalciden dij nominant, mortales uero Cymindin, aliaq; huiusmodi complura. Alias enim deorum esse notiones, & alias partialium cognitiones animorum: & iccirco apud utrosque alia etiam esse nomina. Diuina enim eius esse notæ quæ totam denominatorum rite indicarent essentiam. Humana uero quæ illius solummodo partem declarare possent. Et diuina quidem nomina uulgo esse incognita, cum humana pa-

Alijs dij nominibus res ipsas uocant, alijs homines.

lam in promiscuo reperirentur usu: non alia expreßiori similitudine, quàm earum imaginum & simulachrorum, quæ à sacerdotibus in adytis sacrorumq; penetralibus religiosißime seruarentur: quorum id quidem quod in aperto esset, quiuis è populo libere palamq; cerneret, cum tamen id quod latitaret interius, in quo arcana deorum declarantur mysteria, à solis ijs cerneretur colereturq;, qui & initiati essent, & cæremoniarum sacrorumq; ritu instituti. In sacris præterea quibusdam nominibus miram latitare uirtutem, ad ea sanè efficienda opera, quæ supra hominem esse censerentur, & diuinitati non immerito attribui possent. Et iccirco ab ijs qui interiores & reconditas calluere literas, memoriæ proditum est, non esse transferenda ea aut immutanda uocabula, sed ut sunt suis characteribus ueluti diuinis quibusdam notis religiose conseruanda. Quod magos etiam diuinorum peritos præcepisse dicebant, ne in carminibus scilicet & precibus ad Dæmonas Heroasq; eliciendos aut placandos fusis, precandi ritus aut nomina immutarentur, siue Chaldaica forent ea seu Persica, & omnino barbara: quoniam uim, qualiacunq; essent, haberent maximam, & illis Dæmones insigniter gauderent. Vniuersam denique Zoroastis sapientiam, quam Plato in Alcibiade diuinam, & in Charmide animorum corporisq; curatricem appellat: non alia re magis, quàm nominibus constare dicebant. Hebræos quinetiam diuinorum quorundam nominum notiones omnibus alijs prætulisse scientijs, & mira sæpius horum prolatu opera ab eorum factitata prophetis memoriæ prodidisse, ut non à natura solum, sed ab ipsis etiam inuenta fuisse dijs, & hominibus tradita non immerito creditum fuerit. Huius autem

Zoroastis sapientia.

rei non uulgare etiam signum esse preces, imprecationesq; nostras, quæ semper adiectis nominibus fieri consueuere: ex quibus uel palàm lædi eos quorum recensentur nomina, uel iuuari, manifestius certe esse, quàm ut aliquo demonstrationis indigeret adminiculo. In urbium prœterea oppugnationibus obsidionibus'ue ea uocari eliciq; consueuisse numina, in quorum tutela urbs illa posita esse crederetur, ut loco scilicet eo relicto, ad se uolentes & propitij migrarent dij: neque alio unquam modo obsessam urbem, quàm præsidum abscessu deorum capi aut posse, aut fas esse, non abs re creditum est. Quamobrem antiqui urbium fundatores, coloniarumq; deductores, alterum quidem tutelaris dei nomen manifestum esse, alterum uero sanctius augustiusq; omnes semper latere uoluisse, ne quando ab hostibus cognitum magicis cantibus precibusq;, & rite peractis sacris in bellorum discrimini bus elici & euocari is posset deus, cui diuinum illud adscriberetur nomen. Atqui hominum quidem cum hominibus consensum commerciumq; proculdubio esse posse dicebant: deorum autem & hominum conspirationem, neque animo comprehendi, neq; suspitione apte fingi posse. Ex ijs igitur cuique palàm esse dicebant, naturam ipsam, ueluti rerum imagines quasdã hominibus, uera tradidisse nomina, neq; ab ijsdem consensu aliquo uel casu inuenta & rebus aßignata rerum fuisse uocabula. Cæterum quoniam ex Nigidianis cõmentarijs, quòd naturalia, & non arbitraria rerũ sunt nomina, lepidam sanè et festiuam refert Gellius rationẽ, non erit malũ (ut arbitror) hãc etiam ipsam pro Academia in medium adducere, quæ ipsius Gellij uerbis hoc maxime prolata est modo: Vos, enim, inquit, cũ dicimus, motu quodã oris conueniente cum ipsius uerbi demonst

Aul. Gellius Noct. Att. lib. 10. cap. 4.

demonſtratione utimur, & labias ſenſim priores emoue=mus, ac ſpiritum atq; animam porro uerſum, & ad eos quibuscum ſermocinamur intendimus. At contrà cum di=cimus,nos,neq; profuſo intentoq; flatu uocis, neque pro=iectis labijs pronunciamus, ſed & ſpiritum, & labias quaſi intra noſmetipſos coërcemus. Hoc idem fit in eo quod dicimus,tu,& ego, & tibi,& mihi. Nam ſicuti cũ annuimus, & abnuimus, motus quidem ille uel capitis,uel oculorum à natura rei quam ſignificat non abhorret, ita in ijs uocibus quaſi geſtus quidam oris & ſpiritus natu=ralis eſt. Eadem ratio eſt in Græcis quoq; uocibus quam eſſe in noſtris animaduertimus. Et hæc ferè ſunt quæ de nominum ratione Academicorum cum ueterum, tum no=uitiorum pro ſe afferre ſolita eſt ſchola. Cui ſententiæ Stoicorum etiam Zenone,Cleante,Chryſippoq́; ducibus, uniuerſa fauet natio: contrà uero Ariſtotele duce niti ui=dentur Peripatetici,nomina ſcilicet nõ natura, ſed homi=num conſenſu arbitrioq́; conſtare: quædam etiam caſum reperiſſe ipſum cõtendentes. Quatuor enim hæc eſſe quæ ordinem inter ſe quendam & continuatam haberent ſe=riem: res uidelicet ipſas extrinſecus exiſtentes: animi con ceptiones notionesúe: ea quæ uoce proferantur: & ulti=mo loco illa quæ characteribus notantur. Iſtorum uero quatuor ordinem talem eſſe dicebant, ut prima ſcilicet à ſecundis ſignarentur, cum illa planè ſecunda efficerent. Res enim natura conſtantes,notionum eſſe principia:no=tiones autem & conceptus,res ut extra ſe habent intrin=ſecus deſignare. Hoc etiam modo ea quæ tertio poneban=tur loco, efficere quidem ultima illa, ſignari uero & re=præſentari ab ultimis: ſiquidem ea quæ uoce proferrentur efficientes eſſent cauſæ eorum quæ characteribus inſcribi

inſign

insigniriq; contingerent: illa uero ideo scriberentur, ut commode prolatas signare possent uoces, & labili hominum memoriæ suffragari. Horum porro quatuor duo illa prima natura constare dicebant, duo uero reliqua hominum inuenta fuisse arbitrio, & iccirco in ijs ipsis artis magis quàm naturæ relucere uestigia: idq; ex hoc uel maxime conspici posse dicebant. Etenim res ipsas, & animi notiones conceptionesue, in omnibus semper easdem existere, neq; aliquo locorum interuallo, aut temporum spatijs usquam immutari. Easdem enim semper fuisse res, & de ijs ipsis easdem animi notiones apud omnes homines, & semper futuras esse, cum ea quæ uoce dicerentur nomina, necnon illa quæ characteribus perscriberētur, apud alios alia & semper fuisse, & nunc esse sit perspicuum. Aliter enim loqui & scribere Græcos, aliter Aegyptios, Latinosq; certum est, cum tamen omnes ijsdem de rebus medijs animi conceptionibus & loquantur & scribant. Ex quibus palàm omnibus sanè esse potest, postrema hæc duo hominum inuentis, & non rerum naturæ muneribus adscribi debere. Nihilq; sanè obstare ea quæ hoc in loco ab Academicis adduci solerent, uocem scilicet natura esse, ad quā inquam uelut ad genus nomina referuntur omnia. Neque enim uocem nominum proprie genus esse, neque totam illorum essentiam rite complere. Materiam quidem nominum esse uocem, se haudquaquam inficias ire, genus uero ipsorum proprium & peculiare, penitus abnuere. Quemadmodum igitur si quispiam lectulum, quia ex ligno sit, lignum esse diceret, & iccirco naturæ opus, is ridiculus merito haberetur: ita quisquis nomē dicit, quia uoce constet, iccirco naturaliter nobis aliquid significare, non immerito risu dignus esse perhibetur: nullā enim esse necessitatem

si quippiam de materia fiat naturali, ut id prorsus naturale efficiatur. Vniuersa nanq; illa quæ artificio quocunque struantur, & quæ hominum sine controuersia adscribantur industriæ, mechanicæ inquam structuræ opera, ex materia constare naturali, circa quam omnia artium uersentur ingenia. Similiq; rationis modo uocem quidem rerum naturæ donum esse hominibus eiusdem largitate concessum. Natura enim uocales certe sumus, nomina autem & uerba, uoces simpliciter non esse, sed uoces quasdam, tali aut tali distinctas dearticulatasq; modo, ab animæ ui illa quam λεκτικὴν φαντασίαν *illi, nos quia id unico uerbo exprimere nõ possumus, dictionum effectricem fantasiam dicemus. Hanc enim uocalia mouere instrumenta non alio sanè modo quàm lignum moueri aptariq; à lignario dicimus fabro, ut lectuli figuram commode poßit recipere. Quemadmodum igitur lignum antequam lectuli conformetur effigie, minime uocabitur lectulus: eodẽ modo uoces etiam, antequàm tali aut tali articulentur distinguantur'ue modo, haudquaquam nomina, aut uerba dici oportere. Nostro igitur arbitratu & nostra positura constare ea, & non natura uerisimile esse. Neq; quo minus id uerum esse fateamur ea intercedere, quæ illi de naturali instrumento hoc in loco adducere solent. Nomina enim non esse naturæ instrumenta, sed* ἀποτελέσματα, *id est effectiones: instrumenta nanq; uocalium animæ uirium esse pulmones, palatum, & illam quam asperam arteriam medici uocant: à quibus, siue medijs quibus uocem effici, clarißime apparere, cum exsufflatus aër, & ex uniuerso thorace mißus spiritus, congestim asperam illam uocatam arteriam, gulam'ue percusserit, & ab illa inuicem repercussus fuerit, tali'que plaga sensilem effecerit*

cerit

cerit ſonum, animæ quopiam affectionum charactere inſignitum. ſimplicis igitur uocis inſtrumenta illa eſſe: nominum uero & uerborum, quæ iam dearticulatæ & diſtinctæ ſunt uoces, alia propria & peculiaria magis eſſe inſtrumenta, quæ non φωνητικὰ ὄργανὰ, id eſt uocalia ut illa, ſed διαλεκτικά, id eſt loquendi inſtrumenta recte dicantur. Et huiuſmodi eſſe cum linguam ipſam, tum dentes & labias, quorum affectionem, uocali adiuncta materia nomina eſſe & uerba. Quamobrem non inconcinne, Stoicos dicere ſolitos aiunt, linguam quidem plectri ſimilem eſſe, chordarum uero dentes, nares autem cornibus ijs quæ ad neruos reſonant in cantionibus: cum ea uocem à pulmonibus immoderate profuſam frangat & terminet, & cum ad dentes ipſos, tum ad alias oris partes impellendo, diſtinctos & preſſos illius efficiat ſonos. Non igitur eſſe naturæ inſtrumenta uerba & nomina, ſed effectus & opera, & ideo natura conſtare haudquaquam neceſſarium eſſe. Non ſemper enim naturæ opera naturalia prorſus effici, ſed in artem plerunq; degenerare & deſinere, quod cum ex alijs compluribus naturæ operibus, tum nihilo ſecius ex ipſa ſaltandi peritia manifeſtiſsime poteſt patere. Cum enim omnis, ſecundum locum motio nobis proculdubio natura inſita connata'que ſit, tali tamen, aut tali moueri modo, & numeroſa manuum geſticulatione, Herculem (uerbi cauſa) uel Oedipodem poſſe ſignare & effingere, ab arte ipſa proficiſci meridiana (ut aiunt) luce clarius eſſe, hominum'que induſtriæ hoc, non naturæ largitati acceptum oportere referri. Nam illud quod dicere etiam ſolent de precibus, & ſupplicationum modis, numinum'que magicis euocationibus, hoc ſibi ſomnijs, anilibus'que deliramentis ui-

deri quàm simile dicunt: immutabilem enim diuinam esse naturam, & certa causarum serie, eademq; firma & inuariabili uniuersa (ut par est) gubernare moderari'ue, & non puerorum more cultu pollicitisq; hincinde compelli & allici certißimum esse. Fieri tamen poße, quoniam ratione utentes nos deus esse uoluerit, & liberum motionis principium nobis largiter condonauerit, iccirco multorum etiam operum effectores esse uoluisse: actusq; nostros, & animi consilia, quæ ex libera electionis uoluntate prouenirent, pro meritis sæpius larga benignitate sancire. Aut magis etiam in nobismetipsis, siquis bene introspicere ualuerit, horum initia & causas cognosci, qui circa huiusmodi consilia & preces, non sine iugi quadam affectionis & fantasiæ motione uersati, & iccirco hunc, aut illum uitæ habitum eligentes, huiusmodi præparatione media, & sequestre deorum procuratione prouidentiaq; secundum electionis nostræ modum abunde perfruamur. Sicut in quibusdam planè dignoscere licet corporibus, quæ ignita quidem leuitate sua superne facile ascendere possunt: rursum si quid ponderis ab humida omnino, aut terrea conceperint natura, eadem facilitate ipso declinantia nutu, ad lineam deorsum feruntur. Necnon solis splendore mundum collustrante, siquis apertis oculis experrectus liberq; diem contueri uoluerit, hunc clarißima frui luce necesse est. Siquis autem uel obdormiuerit, uel in tenebrosa se loca coniecerit, aut caput alioqui pannis conuoluerit, is certe uitio suo, non solis causa claritate illa minime perfruetur. Diuina etenim omnia, excellenti quadam redundantis naturæ ubertate, largiter ubiq; omnibus, nulla inuidia, sese offerre & concedere consueuerunt.

Deiq;

Deiq; prouidentia hoc modo, pro uitæ cuiusque electione & meritis, affatim omnibus sese participandam, fruendamq; æquabiliter præstat. Ex quibus certè effici, nihil preces supplicationesúe facere, quominus nomina pro hominum uoluntate & arbitrio constare dicantur. Hæc sunt ferè Alexander, quæ de nominum ratione Academici Peripateticiq; ueteres memoriæ mandauere, & in quibus inter sese dissensisse uulgò creduntur. Nam recẽsiores isti philosophi, de nostratibus loquor, nec uerbo quidem tenus quæstionem hanc attigisse uidentur. Quæ iccirco à me breuiter nũc percursa magis, quàm pertractata fuere, ne quam tibi molestiam longa dicendi series faceret: & ipsa alioqui nox iam aduentare incipit, satisq; pro cõsuetudine à nobis (ut uidetur) deambulatum est. Quare si placet finem faciamus, nisi aliud fortasse est quod me uelis. ALEX. A' me quidem, tantum abest ut isthæc mihi tua longa fuisse uideatur oratio, ut contrà non mediocriter etiam doleam, quòd tam cito dicere desieris: nam de nocte nihil sanè moror, ut citius etiam ruat, quando non procul, ut scis, habito: & illarum extensa prolixitas lucubrationibus à me commode dispertiri soleat. Sed quænam lucubratio, quod studium, mihi optatius esse posset, quàm ea de te audire, quæ adhuc ego à nullo percepi, neque apud quempiam scripta reperi? Perge modo, si placet, reliqua subtexere, & si quid tui hac de re est iudicij, in medium liberaliter afferre. Verum si uidetur, quando inambulauimus satis, ex porticu ista in conclaue transeamus, ubi & hoc uespertinum frigus salubriter declinabimus, & sedentes alioqui commodius, ea quæ nobis agenda sunt, peragemus. LEON. Vt lubet Alexander, quando non solum animorum, sed corporum etiam ualetudini

non minus est seruiendum, sine qua illi neque recte uale= re, dum hic sunt, neque quippiam constanter speculari possunt. Cæterum sciebam equidem ab initio etiam, cum ea exorsus sum, quæ iam recensui, pertractare, te huc tan= dem peruenturum fore, meam'que de ijs sententiam o= mni studio excutere tentaturum: & ideo (si recte tenes) tunc ego te licentiosius fortasse, quàm par fuit, sed amice tamen, ut semper, ueteratoribus illis non dißimilem esse dixi. Veruntamen quando hanc ego personam semel in= dui, hæc mihi certè strenue est agenda. Quanquam cur mihi non in optatis sit etiam hæc tecum conferre, qui mi= hi inter amicos primarius cum sis, ingenio etiam & eru= ditione eò loci peruenisti, ut sanum cum de alijs omnibus, tum hac ipsa de re iudicium ferre ualeas. Accedit ad hoc, quòd ueterum illorum talis tantusq; admirator existis, ut eos tantum non constructis aris numinum loco uenere= ris & colas. Audi igitur & reliqua, quæ non mea certè sunt, sed quorum etiã priora fuerunt. Verum antequàm ad illa nostra se conuertat oratio, unica, & eadem breui propositione (quod Geometræ facere solent) totam hanc claudam quæstionem: ea autem est huiusmodi. Academi= cos Peripateticos'ue de nominum ratione eadem procul= dubio sentire, nihiloq; inter sese, nisi uerbis tantum dif= ferre. Scio isthæc tibi mira sanè uideri, qui priora audi= ueris: oculata tamen (ut aiunt) fide, si ea quæ dicam intel= ligere curaueris, hanc rem planè sic se habere percipies.
ALEX. *Quî possum isthæc tibi credere, & non potius deorum hominumq; implorare fidem, quando mihi tu ta= lia profers monstra? quî enim fieri potest, ut duæ pugnan tißimæ inter se sententiæ eædem esse dicantur? aut quo nam modo tute tibi id unquam persuadere potuisti? Nisi*
fortè

forte idem album & nigrum esse tempore etiam eodem tibi uideri potest. LEON. Nimis delicatus es Alexander, & ut uidetur dictorum impatiens, citoq; sanè cõmoueris: uerum iterum, & tertio etiam scias uelim, me quod tibi modo sum pollicitus, bona fide iam nunc in numerato (ut aiunt) repræsentaturum, ne pigeat modo patienter audire. ALEX. Audiam quando ita iubes, imò auscultabo potius. LEON. Colligamus igitur (nisi molestum est) Alexander, ea quæ dicta sunt prius, & si inter nos conuenit, uideamus, ut quid nobis posthac dicendum sit, planè scire poßimus. ALEX. Bene habet, sic faciamus. LEON. Reuoces igitur te ad superiora. Academicos dixeram nominum rationem natura ipsa, non hominũ arbitratu constare uoluisse: est'ne ita? ALEX. Est ut dicis. LEON. Peripateticos autem, consensu arbitrioq; hominum eadem inuenta esse nomina, & rebus accommodata affirmasse. ALEX. Et hoc ita. LEON. Quomodo autem eadem utriq; senserint: & quonammodo cũ pugnare inter se eæ uideantur sententiæ, rite consentiant & quadrent, reliquum est ut à me in præsentia ostendatur. ALEX. Hoc nimirũ restare uidetur. LEON. Exordiamur igitur, quãdo sic placet, hoc maxime modo. Bifariam dogma illorũ, qui natura constare nomina, & non hominum arbitrio rebus imposita esse dicebãt, sectum diuisumq; fuisse planè accepimus, & ij quidem ut Heraclitici, naturalia ideo uolebant esse nomina, quia naturæ effectiones ea esse et opera, asseuerabant: propria enim & peculiaria rebus singulis nomina à rerum natura præparata aßignataq; esse, nõ aliter quàm sensili cuique rei proprij secreti'ue ab eadem attributi sunt sensus: aliud enim ipsum spectabile à tractabili esse censeri, quia alio iudicetur percipiaturq; naturæ

sensu

ſenſu. Nomina enim naturalibus ſimilia eſſe ſimulachris, qualia certè ſunt illa quæ in ſpeculis, aut in ſtantibus cernantur aquis, non ijs quæ artificio conſtare uidemus. Et nominare profecto eos cenſeri, qui huiuſmodi uera & ſolida proferrent nomina: qui autem ſecus facerent, nec nominare quidem eos, ſed ſonum tantummodo aut uocem emittere. Officium autem eſſe prudentis eruditiq; uiri, & uerè philoſophi, ea ſemper indagare rimari'ue nomina, quæ rebus ſingulis à rerū natura peculiariter conſtituta aßignataq; eſſent: quemadmodum illius eſſe partes, qui acute oculorū polleret acie, proprias uiſilis cuiuſq; ſimilitudines recte pernoſcere & dijudicare. Alij autē dogmatis huius ore tenus aſſertores, ut Academici fuere omnes, id eſt, ueteres Peripatetici (ſic enim eos in præſentia intelligi uolo) natura conſtare nomina dixerunt, quoniam rerum denominatarum naturæ conuenire quadrareq; uolebant: illuſtria enim ea & ſignificantia, ut præclarè res ipſas exprimerent eſſe oportere: ut ſiquis (uerbi cauſa) à natura tali præditus eſſet prudentia, ut ad regendos moderandosq; populos pulchrè natus uideretur, huic Ageſilai, aut Archidami nomen probe conuenire dicebant. Et iccirco natura talia eſſe nomina, quoniam rebus ipſis, quæ ijs ſignentur nominibus, ſignificanter conuenire uiderentur. Archidamus enim quia populo imperare poßit: Ageſilaus autem, quia populi ſit ductor, luculenter dici poſſe cenſetur. Addebant præterea iſti, nomina imaginibus eſſe ſimilia: uerum ijs duntaxat, quæ non ipſa natura, ſed hominum artificio conſtarent: qualia eſſent illa, quæ à pingendi, fingendi'ue arte efficerentur, ubi uarias ſimulachrorum ſimilitudines, uarijs rerum exemplaribus conuenire palàm perſpicimus: & has quidem magis, illas

uerò

uerò minus expressas rerum reddentes effigies, prout artificis peritia, artis dexteritate adhibita, commode illas ualeret effingere. Quod uel ex hoc clarissime cuiuis patere posse dicebant, cum saepe usu ipso deprehendantur homines & à nominibus ipsis denominatarum rerum naturas regreßione ad priora (quam ἀνάλυσιν uocant) indagari: & ijs rursum perspectis, conuenientia rebus imposita esse nomina demonstrare. Sed non dißimili etiam rationis modo illorum dogma, qui rerum nomina hominum consensu arbitrio'ue adscripserunt, bifariam diuidi secari'que contingit. Et ij quidem talem nominum posituram intelligi uolebant, qualem Hermogenes Parmenidæus apud Platonem in Cratylo esse aßerit: pro cuiusq; scilicet arbitrio quæque formari posse nomina, etiam si id nulla fieri ratione contingeret, ut si cuiuis hominum, quam sibi libuerit rem, quocunque nomine pro libidine appellare placuerit, id illi sanè rei nomen proprium accommodatumq́; existere. Qualia pueros & mulieres ioco sæpenumero factitare percipimus. Vnde Diodorum quendam cognomine Diangelticum non contemnendæ uirum literaturæ, huius sectæ placitis mirificè fauentem, seruis suis præpositionum & aduerbiorum etiam uocabula, nominum loco imposuisse memoriæ proditum est, quasi nihil aliud ad rectam nominum rationem, præter hominum studium & arbitrium exigi oporteret. Alij autem, ut peripatetici fuere, non eo sanè modo nomina hominum arbitrio rebus imposita fuisse dixerunt, sed ea quidem à nominum conditore quopiam proculdubio formari aßignariq; oportuisse, non temere, ut Hermogenes uoluit, sed consulto, si quid aliud: hunc autem merito prudentißimum fuisse, et omnimodam rerum naturæ calluisse

scien

ſcientiam, ut ex hoc ſcilicet cuique rei proprium decensq́; nomen poſſet adiungere. Pariq́; rationis modo ſiquis noua rebus quibuſdam imponere ſtudeat nomina, talem eum eſſe oportere, aut ſi talis eſſe non poſſet, ab huiuſmodi ſaltem quopiam doceatur neceſſe eſſe uiro philoſopho, totius rerum naturæ peritißimo, ut rebus congruentia imponere poßit nomina. Et hoc eſſe quòd dicerent conſilijs hominum ea, non ipſa conſtare natura: quoniam non naturæ munere, ſed ratiocinantis animi diſcurſu & inuenta ſint nomina, & rebus ipſis rite accommodata. Non enim temere primores illos, & nullo mentis negotio, paludes quidem fœmineo denominaſſe genere, fluuios autem maſculino (ut de animalibus uiuentiumq́; taceatur genere) ſed has quidem ueluti amnium quædam receptacula fœminino protuliſſe genere: Fluuios uerò ceu illas intrãtes, ſeq́; illis immiſcentes, maſculina generis proportione nominare uoluiſſe. Similiq́; modo intellectum quidem nomine dixiſſe maſculo, cum animam ipſam fœminea terminatione ſignaſſent: quoniam hic quidem ei lumen infundat, illa uerò id excipiat, & ab illo repleri colluſtrariq́; uerißime dicatur. Pariq́; generis analogia in ſole etiam & luna non ab re uſos fuiſſe, cum hic quidem lumen illi affatim ingerere, illa autem ingeſtos excipere radios planè animaduertatur. Neutrum uerò genus & cõmune quod epicœnum uocant, cum ex horũ uel mixtura uel diſtractione cõſtitui componiq́; iudicentur, alijs nonnullis rebus congrua naturæ proportione ſignificanter adiecta fuiſſe. Et hæc de duorum à principio dogmatum in quatuor opinionum capita diſtributione, deq́; illarum explanatione pro uirili mediocriter pertractata ſufficiant. Ex quibus cuiuis non obſcure etiam patere poterit, ſi quidem uegetamentis

mentis adhibeatur intentio, hanc quam suprà retulimus Peripateticorum sententiam, ab illa quam secundo recensuimus loco, & Academicorum placitis adscripsimus, nõ alia re, quàm uerborum prolatu esse diuersam. Quæ enim nomina à prudentissimo uiro, &, ut ipsi aiunt, uere philosopho, rebus quibusque commode adscribuntur, rerum naturæ conuenire, propriaq́; esse proculdubio & significãtia est necesse. Atqui primum illud Peripatetici, secundum (ut uidimus) Academici uoluere: quamuis illi quidem hominum arbitrio nomina, isti uerò natura constare protulerint. In uerbis igitur diuersitas (si qua est diuersitas) non in rebus sententijsq́;, iure esse censebitur. Quamobrem ut à nominum conditore illo originem habent nomina: nulla est inuidia, quin pro arbitrio consensu hominum fabricata & inuenta fuisse dicantur, dum modo natura etiam constare eadem, seu ipsis congruentia rebus, & rerum naturæ quadrantia, bona pace dicere liceat. Res enim philosophi quærere, inuestigareq́; debent, non anxie rerum perscrutari uocabula: quæ etsi rerum (ut diximus) imagines rite esse censeantur, nihil tamen obstat unius rei plures esse imagines, magis & minus archetypum reddentes suum: utri autem illorum imaginibus ijs melius accõmodatiuśue sint usi, ipsi sanè uiderint: nobis enim in præsentia abunde satis sufficere potest, manifestissime (ut arbitror) demonstrasse, philosophos hos, etsi nominibus differre uideantur, rebus tamen ipsis, sententijsq́; proculdubio bene conuenire. Quod uel ex hoc etiam clarissime patere potest. Nam apud Platonem inter dissidentes de nominum ratione Hermogenem & Cratylum, medium sese constituit Socrates, & multis utrosq; rationibus insigniter reprehendit. Neque enim hominum

solo

solo constare arbitrio nomina planè demonstrat, ut asseuerare uidebatur Hermogenes, propter uniuersalia maxime genera, resq́; immutabiles, et sempiternas, quibus tum quia perpetuæ cõstantesq́; sunt, & omnibus ab initio cognitæ, tũ quia immobilẽ definitamq́; sortitæ sunt naturã, stabilis & recta nominũ bene adscribi potest ratio. Neq; rursum nomina natura cõstare ostẽdit, eo quo Heraclitus Heracliticiq́; uolebant modo, propter singularium indiuiduorum'ue labilem, & fluxam naturã, quibus neq; conuenieter aßignari, neq; diu bene quadrare possent nomina. Nihil igitur, ut manifestißimè patet, à diuino Platone & Academicis, Aristoteles & Peripatetici dissentire uidentur: cũ illi nomina ideo natura cõstare dixerint, quia rerũ naturæ accõmodata peculiariter res ipsas signarent: ij autem iccirco pro hominũ arbitrio eadem esse cõtenderint, quoniam à prudentißimo nominũ conditore, & quasi loquendi architecto ea secundum naturæ exigentiam, & inuenta, & rebus solerter aßignata fuissent. Negãt igitur ea natura esse Peripatetici eo quo Heraclitus uolebat modo: rursum Academici, hominum arbitrio esse inficiantur nomina, quomodo illa Hermogenes esse (ut in Cratylo est) asseuerabat. Inter se autem ij philosophi ita nõ dissentiũt, ut de recta sanè nominum ratione una sola, constans'que Academicorum & Peripateticorum esse perhibeatur opinio. Quod Aristoteles etiam in plerisq; commentariorum suorum locis non obscure comprobare uidetur: nam si quando noua, inusitata'que rebus tentat imponere nomina, semper illa rerum naturæ quàm accommodata aßignare contendit. In commentarijs enim de physica auditione, siue de principijs (utraque enim legitur inscriptio) τοῦ αὐτομάτου nomen ijs quæ sponte sua quasi temere
nulla

nulla determinata proueniunt causa, luculenter aßignat: in libris autem de sublimibus quæ μετέωρα uocant, τῆς τε κάδ⊕ καὶ τοῦ ὕετου, quæ pluuiæ sunt uocabula, significanter formasse censetur. Nam speciei nomen, quam ἐντελέχειαν uocat, terminorum præterea in syllogismis quos ὅρους appellat, nec non τοῦ ἀορίστου ὀνόματος καὶ ῥήματος, καὶ τῆς διαφάσεως, uniuersa nomenclatura, quid aliud nobis declarare uidentur, quàm indubitatam philosophi huius hanc fuisse sententiam, nomina scilicet rebus secundum naturæ exigentiam quàm conuenientißime semper adscribi aßignariq; oportere? Hæc sunt Alexander, quæ de nominum ratione tibi pro temporis angustia, & hac ieiuna facultatis nostræ mediocritate, dicere in præsentia habui. Reliqua tu (quo es ingenio) iugi uariáque antiquorum lectione perquires, & ab eruditis uiris percontando posthac felicius excutere poteris. Nam mihi satis nunc superq; fuit, tuæ ut potui, & debui, morem gerere uoluntati.

SADOLETVS,

SIVE,

DE PRECIBVS.



ERCVLEVS lapis, quem Magnetem uocant, Burgarine charißime, occulta quadam ui, & naturæ (ut aiunt) concordia, distans ad se trahere ferrum percipitur: ferri uerò præsentiam & conspectum audaces ad se uiros rapere Homerus est autor. Votis porrò & precationibus quibusdam elicitos fuisse deos, & ad humanos acceßisse conuentus, credula

Iupiter Elicius. Egeria nympha.

existimauit antiquitas. Inde Iouis cognomen Elicij apud Romanos, & Numæ regis cum Egeria nympha fabulosi celebrantur congressus. Nos autem, qui sanctioribus proculdubio uiuimus institutis, & ab antiquis per manus tradita patribus, ueræ religionis dogmata casto, pioq; mentis obseruamus cultu: deum quidem ipsum, & præstantes supra hominem naturas loco moueri, & ad nos accedere, terrasq; & hominum genus peregrinãtium modo inuisere, haudquaquam existimamus. Preces uero exaudire, & hominum supplicationibus & uotis flecti, & cum mala multa ab eisdem ideo auertere, tum inuicem bona ijs largiter præstare, pro certo tenemus. Hinc sacerdotum apud nos diurnæ nocturnæq; diuinarum laudum decantationes, & quotidianæ in templis precantium Christianorum frequentiæ. Hinc uotorum etiam duris in rebus nuncupationes, & gratæ postmodum magnificæq; persolutiones processisse uidentur: ut id sileatur quod omnibus ferè horis tacitus sibi unusquisque aliquid peculiariter precatur, & rogat. Quæ sanè uitæ institutio, & certa credulitas, cum uetustissima est, & initio omnium seculorum memorijs comprobata, tum hominum etiam generi perquàm utilissima esse censetur. Deos enim esse credi, & illos rerum curam gerere humanarum, maxime ex usu uitæ est. Quamobrem reges & principes, rerumq; publicarum rectores, & antiquis semper temporibus, & nostra etiam ætate, religioni quidem & sacrorum cæremonijs deditos uiros, uacationibus semper, & immunitatibus sunt prosequuti, emolumentisq; etiam omnibus illos, & uitæ commodis fouerunt, & fouent. Impios uero & religionis hostes, contrà, ceu hominum generi pestilentes & noxios, supplicijs, & pœnis, & exilijs mulctauerunt,

uerunt, & nunc isthuc ipsum etiam facere perseuerant. Et profecto ita se res habet. Qui enim Deos aut nullos esse, aut humanas non curare res credunt, & neque uotis, illos, neque precibus ullis moueri existimant, ij profecto nulla mentis ratione, sed infræni uiuẽtes libidinis impetu, quod turpiter, siue auare, seu crudeliter appetunt, id pulso procul metu, dummodo latêre se credant, omni prorsus studio, totisq; uiribus parare contendunt. Quod secus ijs accidere necesse est, qui præsentes ubique, & omnia uidentes, & audientes deos, recto mentis iudicio existimant, & credunt. Quo in numero, si quisquam alius, uir certe est philosophus, qui exactam naturæ cognitionem rectis uirtutum moribus copulans, & excellentes solus ab omni'que seiugatas sensu contemplatur essentias, & illas pio (ut par est) mentis cultu ueneratur, & colit solus. Horum preces & uota propitius certe audit deus, cum ij maxime precando dum se corporibus auocant, & in mentis caput ascendere cõtendunt, per quàm similes sanè Deo fiunt. Caue enim putes Burgarine quoruncunq; precantium à præstantibus naturis quascunque exaudiri uoces, qui aliud sæpenumero agentes, non corde, sed labijs (ut aiunt) Deum honorant. Cum enim multa rite precantes habere oporteat, tum solitariam maxime, & deo intentam mentis aciem habere debent, ab omni quidem alia re seiugatam prorsus & liberam. Soli uero illi, cui preces fundunt, affectam, & ceu nexu quodam indissolubili copulatam. Qua de re superioribus diebus, cum apud Reuerendißimum præsulem Iacobum Sadoletum forte essem, ad quem sæpius (ut scis) salutandi gratia accedere soleo, illum audiui cum eleganter & copiose (ut semper solet) tum à consueta isthæc pertractandi

Vide Sadoletũ in psal. xciij.

Non quascũq; à dijs exaudiri preces.

ratione diuerse admodum uerba facientem. Aderant autem mecum cum alij plerique, tum Hieronymus Magnanus, Vestinus episcopus, uir & religione conspicuus, & literarum etiam studijs in primis clarus. Cum enim stati forte adessent dies, quibus omnes ferè urbis sacerdotes quotannis de more per compita & plateas celebri pomparũ frequentia pro frugibus precari solent, & illorum concinne precantium, & canentium, in quo eramus cubiculo clare exaudirentur uoces, ad me cõuersus Sadoletus, Audis'ne, inquit, Leonice canentium choros, hymnosq́ue, & preces, ueteri instituto pro frugibus deo fundẽtium, quali harmoniæ gratia illi, & quo lepôris concentu omnium aures iucunde simul & efficaciter permulceant? Nescio profecto quid alij, ego certe (ut uera fatear) ab huiusmodi re multum afficior, mouentq́ue me mirifice, & nescio quo modo animum altius euocãt meũ. Tum ego, Nec mirum, inquam, reuerendißime D. tali te affici modo, quando duo simul iuncta sunt, quorum uel alterum recte se habentes animos eximie ualeat commouere: uocis enim modulatio, & amœna suauitas (ut uerborum in præsentia taceam uim) nedum homines, sed feras etiam ipsas proculdubio flectere & permulcere possunt. Vt non immerito (mehercule) Orpheum antiqui uates uoce & fidibus canentem, cum ferarum genus omne, tum inanimes etiam & surdas res demulxisse, & post se traxisse memoriæ prodiderint. Quæ sanè res Platonis (ut arbitror) sententiæ, quam de animorum constitutione, diuine potius quàm humane uir ille recte intelligentibus scriptam reliquit, mirifice suffragari uidetur. Numeris enim & harmonia humanus constans animus, numerosis nimirum uocum modulationibus excitari percipitur, & loco stare nescit co-

Orpheus.

gnatione

gnatione (ut aiunt) & contagione quadam, quam Græci sympathiam, nostri concordiam uocant, commotus & excitus. Quæ ad inanimes usque res iugi etiam tenore delabitur. Siquidem percipere licet distantis lyræ fides ad alterius sonum lyræ simili harmoniæ temperamento contensæ, manifestißime motari & resilire. Sed quid ego isthæc inquam tibi in præsentia, an (quod aiunt) sus Mineruam? Tum ille ad me hilari conuersus uultu, Quid tu, inquit, Leonice, Sus Mineruam? aut cur tu te ipse adeo despicis? qui huiusce rei Academicorum decretis optime coniectans causam, illam non minus dilucide quàm breuiter nunc explicasti. Nisi forte recto nostrorum instituto te humilem facis, ut merito postmodum ab alijs extollaris. Verum sint ista certe ut abs te dicta sunt: & homines tum numerosæ (ut uidetur) moueant uoces, tum uel maxime preces & uerba deducant & frangant. Cur autem eæ (ut in confeßis est) Deum etiam ipsum tangant, & precantium uotis excellentes supra hominem exorentur naturæ, hoc abs te Leonice in præsentia audire percuperem. Quare age nunc & aliquid de Academiæ penu reconditum deprome. Tum ego, non ea inquam Reuerendißime D. uis nostra est, talesque res, & tam arduas ingenia pusilla non sufferunt. Noli igitur mihi id oneris imponere, quod humeris impar est meis, & sub quo mihi turpiter cadendum esset: tibi hæc debentur certamina, tuisque rotis isthæc conterenda est meta. Et Magnanus, Miro, inquit, desiderio Reuerendißime D. & sedulo expectabam quid nam quæstioni propositæ responsurus esset Leonicus. Hac enim de re ea, quæ nostri ferè omnes dicunt autores, studiose perlegi omnia, ad manum etiam habere me credo. Verum

politiora quædam de precibus, & antiquorum lucubrationes magis redolentia de illo audire deſiderabam. Noui enim illum cum multæ lectionis ſemper fuiſſe, tum Academicis mirifice addictum decretis, quæ mihi ſanè philoſophorum natio, ut alijs ferè in omnibus quæ ad philoſophiam ſpectant, cæteris haudquaquàm poſtponenda uidetur ſectis, ita longe omnibus (meo quidem iudicio) præponenda in ijs quæ de ſuperioribus pertractat naturis, illarum'que cum uires, tum beneficam ad omnia prouidentiæ & bonitatis oſtendit curam. Qui locus ad religionem proculdubio, diuinum'que cultum totus pertinere uidetur. Cæterum quoniam is ſuas tibi delegat partes ſuperioriq; (ut par eſt) cum in cæteris omnibus, tum in ijs præcipue ſpõte cedit ſua, bene certe mecum in præſentia actum eſſe exiſtimo, & non mediocre feciſſe lucrum me reputo, quando te hodie hac de re Academicorum more diſertantem audire non dubito. Scio enim quòd neque meo hanc rem, neque Leonici noſtri ſtudio inuidebis, & hodiernam diſputandi operam nobis liberaliter præſtabis. Tum ille hilare (ut ſolet) renidens, Et tu, inquit, etiam Magnane cum Leonico facis, mihi'que hoc oneris imponere contendis. Atqui diſceptantium ferè omnium, ſed Academicorum præcipue, conſtans ſemper fuit inſtitutum, ut qui proponebat aliquid, ille audiret. Contra autem, de quo quippiam quærebatur, is ſanè diceret. Quamobrem recto rationis ordine æquum profecto erat Leonicum dicere, me uero auſcultare. Verum quando ita uultis, & ueſtro à me iure hoc enixius contenditis, libens id ueſtra aggrediar cauſa: quod an ex animi noſtri ſententia explicare nunc poſsim, haudquaquàm ſcio. Magnæ enim (ut noſtis) & aſsiduæ, cum publicæ, tum

blicæ, tum priuatæ etiam occupationes, ijs præsertim temporibus, me nimis diu ab huiusmodi studijs auocarunt: sed si uires deficient, uoluntas certe non deerit. Quare uobis in præsentia geratur mos. Verũ de precibus & uotis uerba facturos, Deum in primis precari æquum esse censeo, qui mentis nostræ oculos splendore suæ claritatis illuminet, ut quæ placita illi grataq; sunt, & comprehendere ualeat animus, & uerbis postmodum luculenter poßit exprimere. Hic cum omnes assensi fuissemus, tacitisq; etiam mentis precibus unusquisq; idipsum expetisset, paululum moratus, sic exorsus est ille: Vetus & constans est opinio ab antiquis usq; repetita temporibus, & populorum etiam omnium gentiumq; comprobata consensu, diuinas quasdam supra hominem esse naturas, quæ inferiorum quidem omnium bonitate sua curam gerant, & illis cum bona largiter tribuant, tum mala & aduersa ab eisdem benigne & salutariter auertant & propellant. Hosq; propitios, ut sunt, existimãtes & uocantes deos, rite illos pieq; semper colere, & illis preces & uota aßidue fundere omnes ferè consueuerunt. Adeoq; hæc in hominum mẽtibus congenita cẽsetur opinio, ut nulla gens neq; tam humana reperiatur & docta, neq; tam immanis rursum et barbara, quæ hac de re, ceu naturali quodam admonitu & instinctu excita, aliter loquatur & sentiat. Taceo hoc in loco paucos quosdam, apud ueteres ab omni plane uita, & hominum commercio explosos, Diagoras inquit, Theodoros, Protagoras, & si qui alij prauo mentis errore nullos esse dixerunt deos. Epicurus quinetiam haudquaquã in præsentia perhibendus, qui uerbo quidem tenus esse asserit deos, re autem ipsa eos sanè de medio tollit, cum illis nullum omnino actionis opus, nullam rerum humanarum, neque etiam

cœlestium relinquat curam: sed monogamos quosdam (ut ait Cicero) & solitarios & perflabiles in intermundijs suis degere illos existimet. Alij autem omnes, cum ciuilibus negotijs dediti, & rerum publicarum gubernationibus emancipati, tum philosophi maxime, qui res abditas & abstrusas solerti mẽtis indagine rimari sunt soliti, & deos esse constantissime crediderunt, & illos precibus & uotis, ceu audientes, & curantes omnia, propitios sibi, & placabiles semper reddere contenderunt. Hinc apud Assyrios, Chaldæi: apud Indorum populos, Brachmanes: penes Gallos, Druydæ: apud Persas, Magi: penes Aegyptios, sacerdotum natio, assiduam religioni diuinoq; cultui præstantes operam, cæremonijs & sacris, uotorumq; insuper nuncupationibus, & assiduis precum obsequijs deos colebant, uenerabantur, adorabant. Qui certe mos uoluentibus seculorum curriculis, ceu per naturæ manus traditus, & ad nos usque perueniens, eo rectius nunc, & deo sanè gratius obseruari percipitur, quo intemerata ueræ religionis mysteria sacráq; incorruptæ fidei dogmata, Dei Opt. Max. ineffabili quadam bonitatis plenitudine solis tradita & reuelata sunt Christianis: ut hæc demum uera & solida dei religio & cultus uideri, & rectissime existimari possit: cum primæ illæ religionis potius imagines, & umbræ quædam, quàm religiones merito appellari debuerint. Omnes igitur ferè (ut unde digressi sumus reuertamur) & deos esse constanter asseuerant, curamq; illos rerũ humanarũ gerere credunt, & uotis precibusq; insuper illis assidue supplicandũ esse censent. Sed quoniam de precibus in præsentia me agere uoluistis, & quo nam illæ modo Deum tangant & moueãt audire percupitis, idq; ipsum ut ex Academicorũ declararem institutis, nomi

tis, nominatim etiam perſcriptis, cõſueta philoſophantiũ, & eorum maxime quos ſequimur, procedens uia, ab illarum primo deſcriptione & formæ explanatione initium capiam (rei enim de qua agitur ignorata natura, fruſtra profecto ad reliqua feſtinaret oratio) quo ſanè facto, ad illa poſtmodum explicanda me conuertam, quæ huic conuenientia rei, & commoda eſſe uidebuntur. Sunt autem preces, ſiue oratio & ſupplicatio (ut uſitatioribus apud uos utar uocabulis) uis quædam animis ſuperne conceſſa, illos ſurſum rapiens, & ad deum ipſum conſtringens & uinciens, ſecundaq́; omnia ſemper prioribus uniẽs, & rite copulãs. Cum enim omnia, quæcunq; ſunt entia, ita à Deo procedant & defluant, ut ab illo tamẽ nuſquam dicantur abſcedere, alioqui ruerent prorſus, & in nihilum deuoluerentur, omnia profecto in deo eſſe, & in illo collocari neceſſe eſt, ut poſtmodum ceu intimo quodam orbis ambitu progrediẽtia, ad deũ ipſum rurſus, à quo, & in quo ſunt, diuino & mirabili reuoluantur modo. Neque hoc magnis duntaxat, & excellentibus cõtingere dicimus naturis, quæ alioqui ordine & dignatione propè ad deos accedere uidentur: Sed minimis quibuſq;, imò informi etiam ſurdæq́; materiæ, quæ inter omnia ab excellentibus diuiniſq; remotiſsima eſſe cenſetur cauſis. Omnibus igitur æqualiter rebus diuina adeſt præſentia, cum in omnibus ubique ipſum ex æquo reperiatur unum. Neq; hoc quiſpiam miretur in loco, aut potius ueluti pugnans reijciat, quod diximus à deo labi et procedere omnia, & rurſum progreſſa omnia, in deo tamen eſſe & collocari. Nam progredientia uerisſime manent, & tanquam firmis innixi radicibus in Deo ſtabiliũtur. Quò enim progredi poſſunt, ubi nõ ſit Deus, cuius plena ſunt omnia, & qui proculdubio & ubiq; eſt,

& omnia in se stabiliter cõtinet entia? Miro igitur quodam rationis modo & progrediuntur omnia, & non progrediuntur à Deo: nam progressa manent, neque separantur omnino, alioqui (quod retro diximus) delaberentur in nihilum. Et ut ad summam breuiter iste cõcludatur locus, entia omnia sibi quidem ipsis progredi & procedere iure censentur, in deo autem firmiter illa manere summa est necessitas. Cæterum quoniam non solum à Deo progredi entia, sed ad Deum quoq; recurrere, & retro flecti debẽt, ut in hoc etiam superiorum ordinum ad ipsum unum imitentur regressum, aliam quandam à Deo perfectionis capiunt notam, qua ad illius bonitatem retro flecti nata, in ipso (ut diximus) radicitus nixa, in seipsis uero procedentia, rursum ad ipsum diuino quodam munere reflexa perueniant, & innitantur, admirabilem quendam (ut dictum est) efficientia circuli ambitum, à Deo incipientem, & desinentem in Deum. Cum enim ab unitate (ut dictum est) diuina omnia prodeant entia, secum profecto unitatẽ sibi impressam afferunt & conseruant quandam, diuinæ illius unitatis imaginem, qua postmodum & reuocantur ad illam, & reuocata diuino quodam perficiuntur modo, qui perfectorum animos rapit entium ad preces & uota, quibus unio cum Deo nobis (ut paulopòst uidebimus) manifestißime completur, & perficitur. Et hoc certe est quod in suo de diuinis nominibus commentariolo ijs ipsis uerbis theologus refert Dionysius, Votis & precibus ad diuinã bonitatem perueniendum est. Nam ipsa quidem adest omnibus, non autem illi adsunt omnia: ubi uero ipsam castissimis precibus, animoq; inuocamus defæcato & tranquillo, atq; ad diuinam idoneo coniunctionem, tunc nos quoque illi adsumus. Neq; cuiquam profecto hoc quod diximus

mus de entium regressu incredibile uideri debet, quando is non in animorum solummodo natura percipitur, sed in rebus etiam anima carentibus idipsum animaduertere licet: eæ etenim natura sui impressa huiuscerei gerẽtes uestigia, quo maxime possunt modo, ad supernas se conuertunt causas, & ad diuinos illos superiorũ siue ordines, seu sortes appellare malumus, unde procedunt & defluunt, & quibus firmis naturæ nexibus sunt copulata, ceu ad solem solaria (ut ita dicam) se conuertunt, & ad lunam lunaria, similiq; cætera modo duces quæq; suos naturaliter consequuntur. Et hæc profecto est concordia illa seu consensus siue naturæ contagio, quam Græci Sympathiam uocant, cum inanimes & surdæ res ad alias, & ad alias superum potestates habiles aptæq; reddantur: à quibus uestigia etiam quædam naturaliter habent impressa, quæ à rerum peritis, cum usu & experiẽtia, tum illarum interdum admonitu, comprehendi & dignosci recte possunt, ex quibus naturalis (ut nonnulli aiunt) magicæ fluxerunt initia. Cum igitur omnia (ut uisum est) entia, duo hæc in sui gerant essentia, signa siue uestigia, seu proprietates (multa enim adducẽda sunt nomina, ut naturales has rebus omnibus impressas notas rite explicare poßimus) in Deo scilicet manendi, & ad Deum cum progressa fuerint recurrendi, tum dignius profecto, & prius ipsos hæc in se gestare animos censendum est, quibus rerum opifex ille & æternus eorum sator & parens diuina bonitatis largitate conceßit, ut per unum quod in ipsis est, in Deo firmiter manerent: per mentem autem siue intellectum (utroq; enim uis ea dicitur modo) à Deo progreßi, felici quodam orbis gyro ad Deum rursus ipsum recurrerent. Ad quem profecto regressum maximam supplicationes uim habent & pre-

ces,

ces, signis quibusdam intercedẽtibus, quæ opifex ille Deus cunctis inseruit animis, quæ neq; recte dici possunt, neq; si possent, illa certe in uulgũ proferre fas esset. Illis igitur superorum sibi beneficentiam planè conciliat animus, quæ alioqui precantes etiam ipsos copulant & uniunt ad eas quas precantur naturas: diuinamq́; mentem precantium rationibus coniungunt, & admirabili quodam permiscent modo. Et ut ad summam dicatur, supremæ illius bonitatis mentem ad omnia largiter animis impertienda commoda huiusmodi mirifice mouent preces, diuinæ cuiusdam suadelæ (ut hoc loquamur modo) ad Deum uim magnam habentes, & ut se ineffabili bonitatis largitate benigniter participandum præbeat sanè efficientes. Ad nos igitur uota & preces non trahunt Deos. Neq; profecto inclamati illi, aut uerbis allecti hominum inuisunt cœtus, ut credula licenter fabulata est antiquitas: sed nos potius ad illos ceu ad legitimos beneficosq́; parentes filij, quodam tenus progreßi, precibus medijs reuertimur, trahimur, rapimur, ut illis iugiter aßistamus, copulemurq́; etiam, atque penitus uniamur. Qua de re, quia illius mirifice naturam exprimunt, eiusdem Dionysij de eodem commẽtario uerba subtexere non erit malum, quæ hoc se habent modo: Itaq; nos ipsos ad celsiorem diuinorum clarißimorumq́; radiorum contuitum supplicationibus in primis præparamus, ueluti lucidißima cathena ex cœlesti summitate suspensa, & huc usq; pertingente, si semper eam manibus alternis in anteriora porrectis capimus, trahere quidem ipsam uidemur, re autem uera, non illam ipsi deducimus, quippe suprà infraq́; præsentem, sed ipsi magis ad sublimiores illustriũ radiorum fulgores promouemur. Aut certe, quemadmodum nauim ingreßi, cum rudentem ex saxo

quo

quodam ad nos usq; porrectum tenemus, quippe cuius nitamur auxilio, non saxum ad nos, sed nos ipsos magis nauimq; ad saxum promouemus. Sicuti contrà, si quis maritimum saxum in naui stans propellat, nihil quidem stans & immobile saxum uiolabit, sed sese potius ab eo magis arcebit: quantoq; in illud uiolentius impulerit, tanto ab eo procul repelletur. Non incommode igitur (ut arbitror) neq; inconcinne in ijs quæ retro sunt enumerata, uerarum precum adducta est descriptio, quas dixeramus uim esse quandam superne animis cõcessam, illos ad Deum rapientem, & eosdem cum illo uincientẽ, secundaq; omnia prioribus semper unientem: id enim ipsum ineffabili quodam modo mirabiliter efficere preces pro rei natura clare satis (ut arbitror) est ostensum. Quamobrem uniuersus ferè in illis ueræ religionis non abre uersari cultus perhibetur. Siquidem ut à Platone mutuatus refert Cicero, is Deorum cultus est optimus, idemq; castißimus atque sanctißimus, plenißimusq; pietatis, ut eos semper pure integra incorruptaque mente, & uoce ueneremur. Quo in loco (quoniam religionis facta est mentio) obiter leuioris ingenij nonnullos commonefaciendos esse censeo, ne huiusmodi in re ab incorrupta religionis semita, sensim & incaute ad superstitionem delabantur & ruant. Nam lubricus sanè locus est, & uigili cautionis indigens cura. Non enim anilibus precum deliramentis totos dies blaterandũ est, neq; aßiduis uotorum ineptijs Deus (ut aiunt) defatigandus & obtundendus. Sed matutinis duntaxat uespertinisq; adorationibus, non labijs, sed puro synceroq; cordis affectu rite precandum est. Hoc enim modo preces & legitimum utique habebunt pondus, neque (quod aiunt) à uentis ferentur irritæ, & opus certe suum efficaciter perficere,

Superstitio cauenda.

ficere, & plene complere poterunt. Verum quoniam de precum, siue adorationis natura & essentia, qui locus inter philosophos Academicorũ est maxime proprius, pro mediocritate nostra & tẽpore satis (ut arbitror) est pertractatum, quando nostra in cursu uersatur oratio, & adhuc prandij non adest tempus, nisi forte me auscultando iam defeßi estis, pauca quædam uolentibus uobis ijs addere decreui, quæ ijsdem de fontibus hausta, ad exactißimã precum notionem eximie facere uidentur. Hic cum omnes id percupere uno ore dixissemus, rogassemusq́; insuper, ut si commodo suo fieri posset, nos Academico illo prandio saturos dimitteret, sic prosecutus est ille: Nequeo satis admirari Magnane & Leonice, quantam ij, quos sequimur, uiri, & quã exactam cum alijs in omnibus, tum in ijs maxime, quæ ad ueram pertinent religionem, iugis industriæ curam semper adhibuerint, quantæq́; fuerint diligentiæ. Nam ut alia obmittã multa, & multijuga, & in re proposita maneam, nonnulla etiam illi, quæ ad ueras & efficaces requirantur preces, & illas præcurrere debeãt, miro quodam distinctionis ordine, & inuenerunt soli, quod sciam (de antiquis loquor philosophantibus, semperq́; nostros excipio, qui omnia melius) & soli posterorum memoriæ scriptis suis reliquerunt. Sunt autem huiusmodi, Præcurrere inquiunt ueras exactasq́; preces debere, naturæ primum illius, quam quisque precatur, & cui uouet, certam cognitionem. Non enim apte is accedere cuipiam uidetur, qui illius naturam & proprietates non nouit. Quamobrem ignitam mentis notionem, primum in diuino cultu habere ordinem, sacrum apud illos censebat eulogium, ignis (ut arbitror) calore & motu, iugem uegetamq́; designans cognitionem. Hanc secundo sequi loco

appropr

appropriationem uolũt (æquo feratis animo precor istam uerborum nouitatem, & insolentiam: inusitatis enim rebus & nouis, noua sunt conformanda uocabula, & ad uerbum, ut conceditur, de Græco exprimenda) Isthæc autem appropriatio iuxta illorũ decreta, conueniens quædam uitæ nostra ad Deum est aßimulatio in omnimodæ synceritatis affectu, castitate scilicet & puritate, & scientia, & ordine proueniens, qua nostros animos proxime ad Deum accedentes, humili & subiecta mẽtis affectione, cuncta ab illo adipisci bona autumant. Tertiũ ueras præcedere preces debere affirmãt contactum, quo Dei ipsius essentiam homĩnes supremo animorum uertice ad illam quasi uergentes & proni, contingere censentur. Quarto connumerant loco uicinitatem, siue propinquitatem quandam, quæ ipso exactior uidetur esse contactu, animosq; collustrat, & Deo propiores facit. De qua sacrum apud illos uerba faciẽs eulogium, Mortales, inquit, igni appropinquantes, à Deo diuinam habebunt claritatem. Quem ego ignem (si coniecturæ quisquam in ijs est locus) charitatis apud nostros diuinum signare incendium, haudquaquam dubitauerim. Quintam & ultimã post quatuor illa recensent unionem, quæ animorum unitatem in suprema Dei collocat & inserit unitate, unamq; quodammodo in utrisq; operationum efficit actionẽ, per quam non suimet amplius, sed dei est animus diuino perstãs in lumine, à quo clarißime collustratur & circũfunditur. Et hãc uerißimæ exactißimæq; adorationis extremũ & optimũ esse asseuerant finẽ, quando illa scilicet sequestre & media procedẽtium animorũ reflexio, siue regressus, statui copulatur & mansioni, & omne id, qd' ab uno processit, rursum in ipso uno stabiliter fuerit collocatũ: animorumq; lumẽ à diuino

undiq;

undiq; lumine fuerit circunfusum. Quamobrem non paruam iure, inquiũt, totius religionis portionem esse preces, cum eæ, si recte (ut uisum est) fiant, hominum animos sursum rapere, & omnia quæ dicta sunt certißime efficere poßint. Non ab re igitur (ut arbitror) apud Platonem Atheniensis hospes, solis philosophantibus & probis uiris rectas conuenire contendit preces, ijs enim expeditißima ad felicitatem sanè est uia, cum proxime ad deos accedere, & à generatione, terrenisq́; se auocare rebus, ij uel soli, uel maxime poßint uiri: prauis autem hominibus, & aliqua contaminatis labe, isthuc haudquaquam cõceditur. Impuro enim (ut idem refert Plato) purum contingere nefas est. Accedat igitur is qui recte & efficaciter precari uult, puro synceroq́; cordis affectu, deum ipsum excellentesq́; supra hominẽ pie ueneratus naturas, optima ab initio institutus religionis norma, aßidueq́; diuinis uacans rebus, incessantiq́; etiam utatur adorationis obsequio: celebre enim apud illos eulogium, Perseuerantibus, inquit, uiris crebro aßistunt dij. Quod nobis ipsa etiam præscripsit ueritas, Petite, inquiẽs, & accipietis: pulsate & aperietur uobis. Domoq́; insuper ternarium hunc secum afferat numerum, Fidem scilicet, Veritatẽ, & Amorẽ, optimamq́; præterea bonorũ omnium Spem, & inuariabile diuini susceptaculum luminis. Nam quòd à cæteris seiugari oporteat rebus is, qui solitarie soli conuersari uult deo, uel hinc patere potest, quia multitudo ab uno exiens, eo magis ab illo discedere percipitur, quo plus in numerũ tendit. Quemadmodũ enim haudquaquã cõmode intermedio non ente ad ipsum acceditur ens, sic inepte & perperã (mehercule) id facere uidetur, qui cũ multitudine unitati cõiũgi, & copulari cõtẽdit. Non immerito igitur diuinus, et mihi sæpius

Matth. 7. Luc. 11.

hac

hac in re perhibendus, Dionysius isthæc ad uerbum scribit: Et ideo maiores nostri orationẽ hominis ad deũ unionem quandam esse dixerunt, necnon angelorum opus illa uocauerunt, & ueluti proœmium quoddam felicitatis & futuri gaudij, & imaginis æternæ beatitudinis appellauerunt. Non esse autem illotis (ut aiunt) manibus ad illam accendendum, uerum animo expurgato cum ab omni cogitatione praui, tum à reliquis etiam affectionibus, quæ illum circa materiam & terrena addictum retinent, ita ut ueluti tersum & undique nitidum speculum diuinas rite imagines accipere, & illas clarißime reddere ualeat: ijs etiam addi uolunt erga pauperes misericordiã, & eleemosynas, & ardentium lacrymarum copiosas imbres. Hæc ille. Ex quibus (ut arbitror) clarißime etiam apparere potest id quod à principio dixeramus, dum adorationis definitionem adduximus, illam scilicet non solum animos ad deum rapere & deuincire, uerum etiam secunda quæque ad priora copulare, & coniungere. Omnia enim (ut magnus inquit Theodorus) precantur et supplicant, præter ipsum primũ, quem omnis inferior natura incessabilibus precando ueneratur obsequijs. Cæterũ quia nihil sine causa aut fieri, aut esse posse, uniuersæ philosophorum contendunt scholæ, sex uero causarum genera ij, quos in præsentia sequimur, uiri esse uoluerunt, efficientium scilicet, finalium, exemplarium, formalium, instrumentalium, & materialium, ipsius certe adorationis has omnes causas, præter instrumẽtalem, quam illius natura non recipit, non minus scite, quàm breuiter & dilucide commemorãt. Et efficientes quidẽ illius dicunt esse causas efficaces quasdã diuinarum mentiũ potestates, quæ animos hortãtur et reuocant, conuertuntq; ad deum: Finales uero recensent Causæ precũ.

incontaminata sempiternaq; animorum bona, quibus deo coniunctos perpetuo frui necesse est. Exemplares autẽ causas autumant, entium priores quasdam causas ab ipso primitus bono procedentes, illiq; secundum ineffabilem quãdam unionis copulam connexas. Formales uero dicunt esse causas, naturas quasdam, quæ animos tum simules deo efficiunt, tum uniuersam illorum uitam perficiunt & complent. Materiales autẽ illius esse causas uolunt, signa illa seu imagines & uestigia (ut retro diximus) quæ ab animorum opifice deo illis impressa, ad parẽtis reminiscẽtiam excitant, & illos interna quadam ui ad regressum uegetos reddunt. Verum quoniam tum pro salutari animorum ope deum precantur homines, tum pro incolumitate salubritateq; corporum, nonnunquam uero pro ijs, quæ sunt extrinsecus, siue aduersis depellendis, seu bonis adipiscendis, precũ quædam & uotorum genera, & nomina etiam illis accommodata rebus, & nouerunt Academici, & memoriæ mandauerunt. Perfectiuas nanq; illas appellauere, quæ pro animorum salute fundebãtur preces, quoniam id haberẽt muneris, huiusmodiq; naturas tangerẽt, quæ id efficaciter adimplere & perficere poterant. Opifices autẽ illas denominarũt preces, quas pro imbribus fundebant et uentis, tum tempestiuos & salutares sibi precantes, tũ pestilentes & noxios deprecãtes: opifices enim quasdã medias naturas, illorũ esse causas uolebant. Quamobrẽ Athenis quondam statæ quotãnis pro salutaribus uẽtis ad Deũ fundebantur preces. Et apud Romanos fulgurum & tempestatum solennes quædam erãt deprecationes. Nõnullæ etiã ab illis expurgatoriæ uocitatæ sunt preces, quibus tũ morborũ genera omnia, tũ siccitates, terræmotus, labes, cæteraq; huiusmodi deprecabãtur mala. Quasdam etiam illi

Preces perfectiuæ.

Opifices.

Expurgatoriæ.

uitales

uitales siue animabiles appellauere preces, quibus superioribus quibusdam rite supplicabant naturis, quibus id muneris esse credebant, ut omnimodam fructuum, animaliũq; genituram & incolumitatẽ augerent & custodirent. Vnde apud Romanos etiam cum aliæ pleræq; sacrorum cæremoniæ, tum uitula factitari pro frugibus solitum fuisse legimus. Quod etiam nostri sanctioribus cæremoniarũ institutis, & celebri pomparũ discursu precibus'ue, quotannis ijs semper diebus, rectius profecto, & Deo gratius facere solent. In ijs autem precum generibus (ut ab illis etiã memoriæ traditum est) conueniens sanè is erat modus & ordo, ut eæ scilicet, quæ ad ipsos pertinere dicebantur animos, & priores certe, & omnium excellentiores non immerito existimarẽtur. Quæ uero ad corporum naturã incolumitatemq́; spectabant, secundo connumerabantur loco. Vltimæ omnium erant illæ, quæ pro ijs quæ extrà sunt rebus fieri fundiq́; solebant. Neque me præterit hoc in loco nonnullos etiam superuacuo quodam diligentiæ (ne curiositatis dicam) studio adorandi tempora quædam et modos distinxisse, & quæ quibusnam anni tempestatibus, quo'ue corporis cultu et habitu fieri maxime conuenirẽt, preces recensuisse. Horarum quinetiam momẽta, & locorum situs quosdam, siderumq́; insuper inter se cõspectus, congressusq́; certos addidisse, quæ tamen omnia consulto nunc præterire decreui, quia uanam mihi potius superstitionis cuiusdam insaniam & temeritatem, quàm ullum ueræ religionis cultum merito sapere uidentur. Illud potius addam, quod in Legibus suis diuinus refert Plato, anceps periculosum'que esse precibus uti ullis eum, qui prudentiæ mentis'que sit expers: quinimo cum illo multo certe melius agi, si secus, ac uelit, illi euenire contingat.

Vitales.
Animabiles.

Quamobrem in Alcibiade publicas, priuatasq; apud Lacedæmonios solitas fieri preces, mirifice laudat, quibus probis uiris commoda prosperaq; præstari à dijs immortalibus exposcunt. Sed iam prandij adest tempus, in quo mecum hodie eritis omnes, ut spiritali cibo iam depastis animis, corpora etiam apud nos suis curentur alimentis: et ad me conuersus, qui iam surrexeram, & discedere parabam: Mane, inquit, Leonice, neq; hinc abscedas, nam tecũ mihi quædam sunt conferenda. Tũ ego, Ita faciã, inquam, quãdo sic iubes Reuerendißime D. hac tamen conditione, ut quæ de adorandi modo tibi dicenda restabant, quæ tu siue temporis angustia, seu illa potius, quæ abs te adducta est causa, missa fecisti, ea pro bellarijs nobis in secunda apponas mẽsa. Tũ ille hilare renidens, Talis profecto es, inquit, Leonice, qui omnia (ut aiunt) uasaria semper excutere cupias. Cæterum ut uoles, & cum dicto consurgens è cubiculo in proximũ conclaue, ubi paratæ erant mẽsæ, ire perrexit, nosq; ponè illum sumus sequuti.

SANNVTVS,

SIVE,

DE COMPESCENDO LVCTV.



VM ob luctuosam amantißimi fratris mei mortem, graui perculsus uulnere, dolorosißime conflictarer, et acerbo sæuientis fortunæ ictu penè confectus, planè iacêrem, nullisq; consolationum medelis, aut amicorum solatijs leuior fierem, ut aliquam saltem doloris aberrationem reperirem, ad ea mihi recurrẽdum animorum

morum remedia esse statui, quæ olim memoriæ mandata, longo temporis spatio intermissa, iamdiu non regustaueram: ea autem sunt, quæ ad se uenientibus salutaria & eadem præsentanea, diuina pollicetur philosophia. Verebar *etenim, & animo commouebar maxime, ne posthabitũ id, & neglectum in maius excresceret malum, uiresq; tempore non contemnendas ascisceret: neque hoc ab re mehercule: nanq; sicut in corporũ morbis usu euenire percipimus ut ij plerũq; initio neglecti ad insanabiles sæpius recidere sint soliti ægritudines: ita animorũ perturbationes cõmotas, si diutius perseuerẽt, moraq́; ipsa et assuetudine altiores agant demittantq́; radices, tanquã affines iam illis & cognatas temporis diuturnitate factas, haud facile postmodum & leui (ut aiunt) brachio euelli extirpariq́; posse.* Ex *quo magna nõ immerito postea uitæ cõsequuntur incommoda.* Etenim *memoriæ proditũ est, nonnullos primis animi perturbationibus, tanquam nascenti malo, non aduersatos, uniuersas postmodum ætates luctu mœroribusq́; confecisse: plerosq; uero eam ob causam ad insaniam etiã, qua nullum infelicius hominum generi accidere potest malum, deuolutos, omne postea æuum furiosos egisse: ex quibus nonnullos sanè sibi ipsis postremo uiolentas inieciße manus. Hæc igitur mecum cogitanti* Balbe, *& huiusmodi remedia acri, & intento perquirenti animo, illorum mihi forte sermonum subijt ratio, quos superioribus annis cum clarißimo uiro* Marco Sannuto, *simili de re, domi illius habui, cum ad illum, ob acerbã* Bernardi *fratris mortem mœrore confectum, & domi se continentẽ, officij causa, quod & alioqui sæpe faciebamus, ego &* Lucas Bonfius, *&* Alfonsus Paulutius *acceßissemus, quos in præsentia retractare decreui: tum ut dolori (quod retro dixi) sa-*

lutariter occurram meo, commotoq́; & perturbato animo salubria Philosophiæ adhibeam remedia: tum ut intelligas Balbe multum ijs profici posse, si conuenienti admoti tempore, & ab amico prolati homine, integras uires, & legitimum consolationis habuerint pondus. Quando hac medendi ratione uirum illum, quem summum cum excellenti eruditione, tum rerum usu & experientia in Republica Veneta nostra uidit ætas, animi mœrorem à quo male habebatur, reuocata mentis ratione, omnem postea detersisse, et ab sese procul abiecisse animaduertimus. Et profecto ita se res habet: ut enim Tragicus inquit Euripides,

Medela sermo est mentis affectæ potens,
Si molle fandi tempus expectes dari.

Verum ut res hæc ordine procedat suo, & quo tunc acta est modo, ut bene perspici, dignosciq́; poßit, ita nunc etiam agatur, uniuersam disputationem illam, sermonemq́; nostrũ Socratico disserendi more conflatum, quãtum memoria id aßequi potero, quàm breuiter colligam, & conscribam, qui hoc fere cœptus et pertractus est modo. Cum enim ad illum (ut dictum est) tunc uenissemus, & in superiori ædium porticu postmeridiano eum deambulantem offendissemus, post ea quæ huiusmodi in re fieri diciq́; solent, utrinq; de more prolata, Quid tu, inquit ille, Leonice, à nobis tam diu abfuisti, ut neque nos (quod sæpe solebas) per tot dies inuiseris, neque amantißimum tui Bernardum meum, qui nuper uita functus est, uel moriẽtem saltem uidere curaueris? nam de Luca & Alfonso minus queror. Vt enim in sole euntibus semper corpora comitantur umbræ, sic ij quocunque ire perrexeris, te consequuntur, & nusquam abscedunt. Tum ego, Videris, inquam, mihi Marce tui in me muneris omnino oblitus esse, & de me iniuria

conqueri. An te fugit me nunc Patauij, ubi philosophiam profiteor, quotidianis lectionibus addictum distineri, neque usquam discedere posse? nisi si quæ fortasse interuenerint feriæ, quales sunt istæ, quas ob Diui Antonij celebres dies, & nundinarum stata solennia, uniuersa ciuitas illa festos & lætabiles agit. Verum ut hæc absentiæ hinc meæ satis (ut arbitror) legitima est causa, ita nulla profecto esset, si pridem Bernardi nostri letalem morbum cognouissem, & non prius illum mortuum quàm ægrotantem inaudissem. Sed nescio quo aduerso, lugubri'que casu, hoc inexpectatum mihi ex improuiso inflictum fuit uulnus, ut duplici de causa merito mihi summe dolendum esse nunc iudicem, & quòd tali sim orbatus amico, & quòd illi, quod debui, officium haudquaquam præstare potui. Tum ille, Et cognoueram, inquit, Leonice legitima te causa hinc abesse, & Patauij detineri. Neq; isthuc etiã dubitabam, te, si de Bernardo quæ acciderunt percepisses, nullis unquam neq; obligationum nexibus, neq; lectionũ ita adstringi potuisse uinculis, ut non huc ocyus conuolasses. Sed nescio quomodo dolori obsequens meo (etsi id iniuria facere me sentio) quos tamẽ hinc abfuisse comperi (de intimis loquor) dum ille à nobis miserabiliter est ablatus, inofficiosos proculdubio, et parũ gratos fuisse iudico. Atqui inquam Marce dedecet te, tali præsertim grauitate & prudentia uirum, de bene perspectis alioqui & cognitis familiaribus tuis huiuscemodi & sentire sanè & prædicare. Quãquam (ut uera fatear) persuadere mihi uix possum te isthæc de certa animi sentẽtia nũc retulisse. Tũ ille, Vera, inquit, narras Leonice, et recte me nosti, nã tali profecto sum erga uos animo. Verum nisi omnia uobiscũ & facere & dicere libere me posse confiderem, hauquaquam

in amicorum numero, & talium præsertim, uos haberem; à uerbis igitur meis hæc facesßat suspicio, quæ neque serio mehercule, neque de certa animi sententia, sed mœroris impulsu et animi ægritudine fuere prolata. Sed uides'ne Leonice quàm graui fortunæ fulmine omnis ferè nostra conciderit domus? De fratre scilicet, inquam, narras Marce, qui immatura sublatus morte, domesticis quidem omnibus luctum, & lacrymas, amicis uero immensum dolorem non immerito reliquiße uidetur. Alterũ enim mehercule præclare familiæ uestræ columen est emissum: Alterum extinctum est lumen, quod & illi sanè decori & emolumento, patriæ uero laudi & gloriæ, si superfuisset, proculdubio erat futurum. Verum isthæc Marce communia cum sint, & humana, à uiro præsertim forti, qualem te eße non dubito, æquo animo sunt ferenda. Hac enim conditionis lege in hoc mundi theatrum ingreßi sumus, ut aliquando inde etiam nobis esset exeundum. Tum ille ex imo suspirans pectore, Qua nam, inquit, ratione poßum Leonice æquo esse animo, aut tantum dolorem constanti mente perferre, qui tali ingenio, ea indole, tot uirtutibus præditum amiserim fratrem, qui cum mihi natura germanus existeret, ætate tamen & educatione à me iure filius existimari poterat. Nam cum uiginti fere annis minor esset natu, me non aliter quàm parentem suum colebat, & præclaris imbutus moribus & institutis, in talem profecto euaserat (ut cætera sileam) qualem uos eum & uidistis, & cognouistis. Quamobrem durus profecto & inhumanus eßem, nisi impensius hoc luctuoso illius casu dolerem. Tũ ego: Magna inquam Marce, magna profecto in illo est facta iactura. Nemo isthuc unquã negauerit, neque ego inficias eo. Sed si dolendum hanc ob causam est (nam de hoc ipso, si uidebitur,

bitur, mox dicemus) cur nõ modice potius et humanè dolendum est, ut fortibus conuenit uiris, quàm propense ut dicis & anxie, quod mulierculas, et illis similes homuntiones facere animaduertimus? Quoniam, inquit ille, non de leui & cõtẽnenda re, aut quæ paruo rursus negocio reparari poßit dolemus: sed de charißimo sanè amisso pignore, quo nobis perpetuo est carẽdum. Tum ego, Quæso inquàm Marce, quãdo nihil aliud in præsentia est quod potius agamus, respondere non graueris ad ea, quæ te percõtari nunc uolo. Et quid est, inquit ille, quod huic rei præuertendum putem, aut quod magis nunc cupiam, quàm ex te audire quæ hac de re tibi dicenda succurrunt? Credibile autẽ est optima tibi multa in mentem uenire, quando nõ de fece (ut aiunt) sed de limpidißimo philosophiæ hauris fonte. Et ego istuc inquam in me Marce neque agnosco sanè, neq; præ me fero: optima enim illa quæ dicis, maiores isti & elegantiores profiteantur & sentiant: mecum in præsentia satis bene agetur, si illorũ uestigia sequutus mediocria quædam decenter inuenire, et recte explicare potero. Tum ille, Exordire modo inquit Leonice, et quod uis me percontare, ne id quod ex te audire cupio, in longũ nimis trahatur. Verum ambulando'ne, an sedendo rem istam transigere mauis? Vt lubet inquam Marce, et ut isti malunt, ego enim ad utrunque æque sum paratus. Deambulemus, inquit ille, potius (si placet) quando & huiusce rei conueniens est hora, & uos (ut de te & Luca nostro loquar) peripatetica profitẽtes decreta libenter id facere uerisimile est. Sed iam quod uelle dixeras (si uidetur) aggredere. Tum ego sic quodammodo sum exorsus: Impensius tibi esse dolendum retro dixeras Marce, ob acerbũ Bernardi fratris interitũ, quia scilicet non leue quiddã et con

temnendum, ſed chariſsimum pignus amiſeris, & quo tibi perpetuo poſthac eſſet carendum. Sunt'ne iſta tua Marce, an quippiam ſecus, ac dictum à te eſt, nũc retuli? Sunt, inquit ille, & id ipſum uehementer aſſeuero. Et ego, Si doles, inquam, Marce ob fratris mortem, quod profectò & confiteris, & ut ſentio uehementer facis, de tribus ſanè ijs unum ſequi neceſſe eſt, aut te id tui ipſius gratia facere, ita quòd tua ſolum cauſa doleas, aut illius qui uita functus eſt doles gratia, aut utrorunq; cauſa, tui ſcilicet & illius: omnis enim qui nos tangit & perturbat dolor, aliquã profecto habere cenſetur cauſam, qua nos uellicet & male habeat. Quid ad hæc Marce? Tũ ille, Facilis, inquit, Leonice & ad manum ad huiuſmodi quæſtionem mihi ſanè ſuccurrit reſponſio. Doleo nanq; & illius, & mei ipſius cauſa. Tũ ego, Videor mihi, inquã, Marce probe tenere quod ſentis: Doles enim uidelicet, tum quia iucunda illius cares conſuetudine, uſu'que & cõmodis, quæ cum domi, tum foris tibi ab illo præſto ſemper erant: tum quia & ijs ipſis illum carere exiſtimas, & cæteris præterea uitæ commodis, quæ apud uos ampla ſanè & magnifica conſpiciũtur. Spatioſas has dico pulcherrimarũ ædium ſubſtructiones, magnificentiſsimam omnis generis ſupellectilem, ampliſsimam familiam, uillarũ inſtructiſsimas amœnitates, precioſorum latifundia prædiorũ, cæteraq́; huiuſmodi, quæ qui poſsident, beati & felices uulgo eſſe exiſtimantur. An tibi uilia, inquit, iſta Leonice, & pro nihilo ducenda eſſe uidentur? quæ nedum uulgus imperitorum, ſed omnes etiã appetunt boni: aut quicquam afferre nunc potes, quamobrem iſthæc, ut ſunt, non cenſeantur eſſe bona? niſi fortaſſe turpis transfuga fieri cupis, & in porticum è Lycio commigrare nunc paras: ueſtri enim omnes, quos politiſſimos

ſimos philoſophorum non immerito eſſe iudico, tertiæ bo norum claßi, non minus uere, quàm omnium ſuffragante conſenſu, illa adſcribere dicuntur. Eſt ut narras, inquam, Marce. Sed ita hæc tamen illi exiſtimant eſſe bona, ut neq; ſe poßidentes felices ſanè efficere ualeant, & ſine illis etiã uita beata eſſe poßit. Quanquàm hoc etiam in loco, ſi contendere uellem, iure optimo dicere poſſem, ijs uitæ commodis, quibus nihil indigeant, haudquaquã carere mortuos. Verum de ijs aliàs, ſi dabitur: nunc ad propoſitum reuertamur. Dixeras (ſi recte memini) Marce, te utriuſq; cauſa, tui ſcilicet & illius dolere. Hoc autem id ualet (ut quod ad te attinet primo uideamus) te iccirco dolere, quia commodis multis cum domeſticis, tum forenſibus, quæ tibi ab illo, ſi uixiſſet, peruentura ſperaueras, poſthac tibi carendũ eſſe percipis: utilitatis igitur tuæ gratia, qua illius obitu priuatum te eſſe ſentis, nimirum doles, & id immodice facis. Atqui dolorem, noſtri cauſa ſuſceptum, quòd modice ferre debeamus, imo quàm ocyus eum extinguere, & abijcere contendamus, non ſolum omnes philoſophorum omnium clamant ſcholæ, ſed ipſa etiam nobis ſanè dictat ratio, ne noſmetipſos uidelicet nimium amare uideamur: quod qui non à ſe excluſerit uitium, omnibus profecto illum uitiorum patêre incurſibus eſt neceſſe. Qui enim plus nimio ſe diligit, & charum habet, hunc & iniuſtum eſſe, & timidum, inconſtantem quinetiam, & incontinentem ſumma eſt neceßitas. Tum ille, Videtur, inquit, ſanè Leonice, & tibi prorſus aſſentior, noſtri cauſa dolorẽ modicum, uel potius nullum eſſe ſuſcipiendum. Turpe nanq; id eſſe apparet. Verum iſthuc, quod ultimo concluſum eſt loco, cum ſcilicet, qui ſe diligit, omnibus turpißimum eſſe uitijs, præciſe admodum, & ſubobſcure mihi con-

clusum esse uidetur. Quamobrem rogo te, ut illud (si placet) prolixius explices. Et ego, Libēter, inquam, isthuc faciam Marce, non solum tua, sed Lucæ etiam, & Alfonsi causa: quod enim tibi subobscurum est, illis tenebricosum nō immerito uideri potest. Quare hoc agamus modo. Qui se impendio plus diligit, hunc profecto suiipsius causa nullo delectu, omnia & uelle, & facere credibile est. Hic igitur (ut hinc exordiar) si amici depositum quippiam seruandum acceperit, quod in rē suam facere uideatur, nō'ne diuino humano'que neglecto iure, id non minus impudenter, quàm sceleste negabit? hac autem re quid improbius, aut iniustius inter homines fieri poßit, nō uideo. Idē si latêre se credet, furabitur: palàm etiā rapiet, si id impune facere licebit. Insontes accepto præmio cōdēnabit: fana expilabit: patriam, pecunia corruptus, prodet: et ad summā, omnia diuina humanaq; lucelli sui gratia cōfundet & cōturbabit iura: isthæc autē omnia quorsum pertineant, iam intelligere potestis. Iniustißimum, inquit ille, Leonice nobis planè hominem expreßisti. Et profecto ita est, inquam Marce: sed is etiā eam ob causam timidißimus sanè erit: nā ut seipso, suisq; diu fruatur commodis, quæ suiipsius causa undiq; exquisitißime diligentißimeq; comparauit, neq; in amicorū aduersis rebus officium obibit, aut pericula unquàm adibit: nulli enim nisi sibijpsi est amicus. Neque pro patriæ salute arma capiet, aut in aciē descēdet: mortē nāq; impensius formidabit, ne re amata, id est, seipso, carere cogatur: nihilq; nō suspiciose, demisse, formidolose aggredietur, aut faciet unquam. De illius autē incōstantia & mutabilitate, morūq; intemperātia, nō est quod pluribus uos teneā. Qui enim se ipsum plus æquo diligit, is nimirum uitæ suæ statum, fortunæ semper reflatibus accommodat, & in

duab

duabus (ut aiunt) sedet sellis, nusquamq; stabilem uitæ tenorem perpetuo conseruare potest: & cum se charum habeat, omnibus sibi blanditur illecebris, omniaq; sedulo exquirit illa quæ corporis suauiter famulātur obsequijs. Ex quibus clarißime patere potest, ne in hæc turpißima delabatur uitia, contaminatusq; merito uideri poßit, dolorem suijpsius causa, & ut ipse sibijpsi faueat, à uiro præsertim probo non esse suscipiendum. Est'ne ita Marce ut uidimus, an aliud quippiam hac de re audire expectas? Minime, inquit ille, nam in hoc mihi abunde satisfactum abs te esse planè cōfiteor. Sed neq; illius qui uita functus est causa (quod etiam te facere dixeras Marce) impensius tibi dolendum esse nunc assero, ne forte sapientior, quàm es, et quàm modestia patitur tua, in præsentia existimari uelle uidearis, & scientiam rei tibi penitus ignotæ contumaciter uendicare studeas, ut ridiculus posthac, si secus esset, à prudentioribus non immerito haberi poßis. An quicquam est turpius homini, præsertim erudito, quàm profiteri quod nesciat, & de re sibi omnino ignota uelle contendere? Atqui neq; uulgus imperitorum id facere percipimus. Musicæ enim ignarus neque fidibus canere audet (nisi forte desipiat) neq; de rhythmis harmonicisq; modulis iudicium ferre præsumit: saltandi expers et imperitus, de chironomiæ legibus non contendit: nullusq; sanè hominum adeo peruerse depudere didicit, ut eam quam ignorat artem, arroganter sibi uendicare præsumat. An'ne ita tibi uidetur? Prorsus ita est, inquit ille. sed quorsum hæc? Quoniam inquam Marce impensius tibi dolendum esse iudicas eius quo orbatus es gratia, ueluti si exploratum haberes, certißime'que cognosceres illum uel in aliquo esse malo, ex ijs quæ uulgò opinantur homines, uel ijs indigere bo

re bonis, quæ, si uiueret, illi abunde suppetere possent. Id autem ipsum quo nam se habeat modo, et utrũ morte obita melius sit homini, an peius, deos quidem immortales cognoscere par est: hominem uero scire neminem, merito contẽderim: nisi forte tu tibi ab inferis missas habes epistolas, aut de Castore quopiam, qui crebro illas (ut poëtæ narrant) itq; reditq; uias, quæ istic gerantur inaudisti. Et quanquam hoc in loco, si uellem, iure optimo contendere poßem, cum mortuis non male, sed bene potius & feliciter actum esse, tũ quia uniuersis uitæ careant molestijs (quis enim hic infinitorum causas nõ semper habet dolorum?) quæ morte sola finiri effugiq; possunt: tum quia liber animus nullo prorsus impedimẽto proprijs tunc & peculiaribus fruatur bonis. Vbi etiam sancto antiquitatis testimonio ex uerißima repetito historia efficaciter uti possem, quæ Argiuos fratres, Cleonem scilicet & Bitonem, necnõ Trophonium & Agamedem, pietatis, meritorumq; suorũ præmium ueluti optimum quiddam mortem reportasse cõstanter asseuerat. Cum hæc inquam in medium afferre, & sententiæ suffragari possem meæ (uide quàm causæ confidam) omnia isthæc in præsentia missa facio, hoc tantũ contendo, eos qui in malis esse mortuos, aut bonis omnino illos carere iudicant, tum in profundißima erroris uersari caligine, tum etiam se scire quod nesciant mendaciter fingere, turpiterq; mentiri. Quod cum cæteris in rebus, tum in hac maxime, quæ omnem ferè uitæ continet disciplinã, temerariũ proculdubio & perniciosum non immerito eße censendũ est. Non ab re igitur diuinus ille Plato huiusmodi in rebus, quas calamitates & miserias uulgus hominum uocat, quiescere nos admonet, quippe qui nesciamus quorsum illa tendere uelint, & utrum'ne bona an mala recte

existi

existimari conueniant: cum & alioqui dolendo etiam nihil proficere ualeamus. Mentis enim aciem, qua sapere & discurrere circa rem illam possemus, dolore nimirũ offici & hebescere. Quamobrem in ijs uitæ casibus iubet nos ille, ceu in tesseræ ludo, ad ea quæ ceciderunt, quomodo dictauerit ratio, optime se habere, ita nosmetipsos nostraq́; omnia componere & conformare. Ex ijs igitur (ni fallor) perspicue satis patere potest, in huiusmodi uitæ statibus nullum à nobis iure suscipiendum esse dolorem, cum neque nostri, neque illorum qui uita functi sunt causa (ut uisum est) merito dolere debeamus. Satis'ne id tibi conclusum uidetur Marce, an adhuc aliquid quæris? Tum ille, Videris mihi, inquit, Leonice cũ necessarij disiuncti uniuersas infirmaueris partes, certißimis Dialecticorũ præceptis, totum sanè destruxisse propositum, & geometrica (ut aiunt) neceßitate effecisse, huiusmodi in rebus minime à nobis dolorem esse suscipiendum. Sed nescio quomodo, dum hæc quidem proferuntur, & in cursu est oratio, cedit animus, et illi planè obsequitur, et paret: cum uero desierit, ueluti desultorius ex alio in aliud resiliens, mœroribus se denuo & lacrymis transuersum tradit. Et ego, Nõ est mirandum, inquam, Marce si id tibi usui in recenti uulnere nunc euenit, quod illis ferè omnibus accidere uidetur, qui hanc rem opinione magis, quàm ratione perpendere solent. Nam se suaq́; (ut diximus) nonnulli plus nimio amantes, & de rerum natura secus, quàm par est, sentientes, effusis nimirum desiderij feruntur habenis: et cum naturali ægritudini, suapte natura modicæ, & exili, præter fas decens'que opinionum fomenta falsarum subministrent, illi'que uano quodam erroris consensu agrestes etiam sæpius, & immanes misceant affectiones, ad immodic

modicos postea luctus, turpesq; interdũ, & fœmineos eiu latus, & inexplebilia lacrymarũ studia nõ immerito deuo luuntur. Quamobrẽ non incõcinne (meherculc) hac super re huiusmodi ab Aesopo narratur apologus: quòd scilicet cũ genitis à se dijs honores & munia singulis adscriberet Iupiter, accessissetq; ad eum cũ alijs etiã Luctus, sibiq; huiusmodi quippiã expostulasset, Ionẽ dixisse, hoc se illi cõcedere munus, ut solis scilicet ijs qui uoluissent, & illũ elegissent semper adesset. Et profecto ita se res habet: principio enim unusquisq; mœrores luctusq; ad se aduocat, et admittit, quæ assuetudine postmodum si neglecta fuerint, & tẽpore cõfirmata, ceu domestica animis familiariaq; iam effecta, haudquaquam faciliter inde deijci extrudiq; possunt. Quamobrem sub ipsis statim initijs resistere & obstare conuenit, & in ipsis (ut aiunt) animorum limitibus cum agrestibus huiusmodi & feris affectibus conserendæ sunt manus, & acriter dimicandum, ne illorum recepto præsidio, & mentis arce occupata, parti rationis experti, et sursum uersus cupidis semper affectionibus agitatæ, turpiter posthac seruire cogamur. Sed nescio quomodo uulgus hominum, quemadmodum in alijs ferè omnibus, ita hac etiam in re perperam facere uidetur. Mœstis enim tristibusque amicis, & consolatione indigentibus, non modo nihil ad minuendum dolorem, cõpescendasq; lacrymas afferre consueuerunt, sed potius ad mœrentes & orbatos accessuri, suspiriorum luctusq; fomenta domo secum afferunt, atratiq; sedent cum mœstis & afflictis, lacrymisq; suis illorum planè prouocant lacrymas, ciulatusq; fouent et adiuuant, & omni prorsus studio hac in re turgenti animorum intemperantiæ suffragantur & fauent. Atqui ijdem ipsi, si uicini domum deflagrantem forte conspexerint, ocyus ac-

Apologus de luctu.

currunt

currunt omnes, & quã quisq; potest ad extinguenda incẽdia egregiam nauat operam. Amicos autem ægritudine quapiam deflagrantes, & luctu mœroribusq; inflammatos, uerborum lugubrium efficacia superaddentes fomẽta, & ignem (ut aiunt) igni coaceruantes, penitus exurunt, & insanabile, quantum in ipsis est, id efficiunt malum. Tum ille, Est profecto, inquit, ut dicis Leonice, & pleriq; hominum opinionibus mœrores & luctus sibi comparant & asciscunt, nonnulliq; etiam illos fouent, & in maius augere student, quos merito meherculè damnandos esse iudico: uerumtamen aduersis in rebus positum quempiã nõ dolere, cum homo natus sit, uix posse fieri contenderim: quod tu etiam retro (si recte intellexi) breuiter sanè uisus es tangere, naturales inquiẽs ægritudines esse modicas & exiles: qua de re (nisi est molestũ) aliquid ex te audire nũc uellẽ. Tum ego, Recte quidem, inquam, existimas Marce, si tristibus in rebus naturalem quẽdam hominibus sensum & dolorem adesse censes. Non enim ex quercu (ut inquit ille) aut è silice nati sumus. Et Stoicorum indolentiam illam, tanquam feram, & immanem aspernendam & explodendam esse contẽdo, quam sanè & animi duritiem quãdam, & morum etiam asperitatem sequi necesse est. Verũ ut hanc non admitto, neque laudo, ita neque quibuscunq; tangi frãgiq; doloribus sanè probo. Neq; enim Crassi similem uirũ natura philosophũ esse uolo, neq; rursum Domitij: quorũ alter extincta in piscinis muræna fleuisse: alter uero cũ tres extulisset uxores, neq; illacrymasse dicitur: adsint bona cũ uenia, animorum motus affectionesq; istæ: uerum modicæ sint eæ, & exiles, & quæ facilè coërceri, diduciq;, & in melius cõuerti possint. Verum de eiusmodi etiam naturali animorum ægritudine in præsentia

m aliquid

aliquid dicere, cum alioqui ad propositum faciat nostrũ, nulla certe est inuidia. Nã illius origine cognita, haud magna cum re salutaria illi remedia adhiberi sanè poterunt. Hoc autem exordiamur modo. Humanos animos in partes distributos esse duas, omnium mater artium Philosophia nos docuit. Harũ autem altera quidẽ rationis est particeps, & cõsilij: altera uero horum expers & uacua: & hanc naturaliter famulari et parêre, illã autem ceu moderatricem & dominã, imperare & regere æquũ est. Porro hæc quidẽ (ut dominã decet) sublimis et alta est, nihil humile, nihil demissum & uile curans. Altera uero illa contrà mollis est, eneruata, humilis, languida, quæ uisis, opinionibusq; pulsata inanibus, temere semper agitatur: cum illa prior notionibus, & discursibus stabilita certis, nihil nisi quod uerum et rectum est, speculetur & sapiat. Quamobrem cum eiusdem philosophiæ uerbis palàm præcipitur et præfinitur, ut nobismetipsis imperemus, ceu duo quidã simus, nihil profecto aliud præcipitur, nisi ut cõsilium stulticiam cõpescat, et ratio temeritatem coërceat, & domet. Cum enim in molli illa et humili animorum parte, uigeat appetitus, in altera nimirum sedẽ constituit suã ratio, quæ si (ut par & decens est) inferiori dominetur illi, eamq; nutu suo moderetur et temperet, tanquam in optimo monarchiæ principatu uniuersa hominis illius opera recte cõcinneq; se habere uidentur, et nihil in illo non excussum & elegãs reperitur. Quod si secus cõtigerit, et rationi præualuerit appetitus, ceu effrænis excusso domino equus, omnia raptat & dissipat, nihilq; syncerũ et stabile, aut pulchrum diutius conseruare potest: unde hominis illius uita cum turpis et scelesta esse percipitur, tum mors etiam infamis et misera posthac consequi animaduertitur. In hac

igitur

igitur animorum parte (ut ad propositum nostra reuerta tur oratio) uniuersa ægritudinum omniũ colluuies, et affe ctionum mala collocantur initia. Hinc mœrores et luctus, hinc suspiciones & formidines: amores quinetiam, et gestientes profusæq; læticiæ: necnõ furores, ambitiones, opũ cupiditates, aliaq; multa eiusdẽ notæ uitia, originẽ exortumq; suum habere censentur. Quæ tamen animorũ affectiones dum modicæ sunt et exiles, naturales proculdubio (ut diximus) & nõ inutiles etiã illarum nõnullæ quãdoq; esse cẽsentur. Si uero temporis diuturnitate, seu peruerso opinionum iudicio altius radices egerint suas, ut extirpari, conuelliq; aut uix, aut ne uix quidẽ possint: id autem est, cũ rationi præualuerit appetitus, tum præter naturam affectæ in agrestes quasdã & feras euadunt ægritudines, quæ hominis animum nedum in corpore degentem, sed cũ exierit etiam, uexant & male habent. An tu aliã ob causam Marce, impiorum apud inferos supplicia & pœnas, de quibus cũ antiqui ferè omnes, tum nostri nõ minus concorditer quàm ueraciter prædicant, à summo rerum opifice constituta esse censes, nisi ut ex animorũ noxæ, siue labes, seu maculæ, aut exurantur, aut abluãtur, aut quo illi alio placet modo expientur? Non enim isthæc in præsentia à nobis pertractanda proponuntur, quæ alio sanè tempore idoneam nacti occasionem non incommode fortasse explicare aggrediemur: sed nunc quod instat agamus. Et Marcus, Recte, inquit, narras Leonice: nam quod pollicitus es, libenter (mehercule) arripui, et id aliquando (ut spero) tuo commodo persolues: nunc quod in mani bus est, perfice. Tum ego, Ex superioribus inquam Marce satis clare perspici potest, naturales quasdam animorum esse ægritudines, quæ nisi à recto mẽtis iudicio ueluti

ab optimo agricola circuncidãtur sæpius, & ratione, ceu tonsura quadam, frequenter coërceantur, & mutilentur, præter naturam in agrestes quosdam & feros mentis euadunt morbos, qui per uniuersum postea uitæ curriculum non mediocre nobis negotium facessunt. Quamobrem nõ leuis à nobis (ut arbitror) ponenda est opera, quin potius totis uiribus contendendum, ut illas quàm exiles & castigatas, id est naturales reddamus, ne parti officiant & obluctentur meliori, sed magis illam sequãtur, & illi pareãt. Ita uidetur, inquit ille, & sic esse faciendum planè sentio. Ex eisdem etiam manifestum est inquam Marce, immodicas istas animorum ægritudines ex corruptis peruersisq; opinionum fallacijs, & nõ ex rerum natura temere esse susceptas. Nam ut de proposita loquamur re, & propius ad id, quod in manibus habemus, accedamus, tu q propter fratris amantissimũ è uita discessum impẽsius nunc doles, recentiq; & tumido uulneri non medicinã, sed unguẽ (ut aiunt) admoues, tempore profecto lenior fies, & hoc, quod nũc turget ulcus, aliquãdo coibit, & ad cicatricem certe perueniet. Quod profecto indicio esse potest, nõ naturalẽ & insitũ, sed aduentitiũ, & opinione susceptũ, & adscitũ hunc esse dolorẽ: si enim natura cõstaret, idẽ sanè semper esset, eũdemq; nimirum continuo seruaret tenorẽ, neq; cum longa dies (quod profecto faciet) unquam labefactare, aut obruere posset. Opinioni igitur Marce, ut uulgus imperitũ solet, & non rationi potius, ut fortẽ decet uirũ, obsequeris, & illi parẽdum nũc esse præscribes: Atqui turpe sanè est, à tali præsertim uiro (qualis tu es) qđ dies impetratura est, isthuc ipsum rationẽ in præsentia impetrare nõ posse. Sed esto, fuerit hoc malũ, & magnum etiã quantumuis (si uidetur) amisisse fratrẽ, de quo tamen mox

uidero, non'ne id à te aut proculcādum omnino, aut æquo saltem ferendum animo erat? An te præterit prudentis, experientisq́; officium esse uiri (quod ait Plato) aut ingruētia cauere mala, aut si secus euenerit, pro uirili ea corrigere, & quàm leuißima efficere: aut si neq; id fieri potest, uiriliter illa generoseq́; sustinere? Et ut alio etiam in loco idem ait philosophus, Bona quidem à nobis esse optanda, forti autem animo ferenda quæcunq; secus nobis fors ipsa deusq́; attulerint. Et profectò ita se res habet: Quēadmodum enim corpora, quæ nullo negotio frigora & calores sustinere poßunt, ualida esse, & bene se habere non ab re existimantur, sic animorum natura, quæ tristibus in rebus haudquaquam concidit, sed solidum semper & eundem retinet tenorem, & excellens profectò, & laudanda eße censetur. Abijciendæ igitur à uiris istæ sunt nugæ, & isthæc opinionum ludibria proculcāda, humanaq́; omnia humaniter, & æquo animo toleranda. Non enim in conuiuijs solum & lusibus (ut recta dictat ratio) temperatum & abstinentem esse oportet, sed nihilominus in dolore & luctibus turgentis æstum ægritudinis ratione compescere & coërcere decet. Quæ tunc non solidæ & ueræ amanti animorum parti repugnat (ut pleriq; falso existimant) sed incontinenti, & eneruatæ, & humili: illi nanq; priori rem gratam facimus, si modice desideremus, si colamus, si meminerimus illorum quibus orbati sumus, non si lugubriter conqueramur, & nosmetipsos male mulctemus. Sed nescio quomodo huiusmodi luctus lacrymarūq; affectio & propensum ad lugubres eiulatus desiderium, cum neque minus turpe, neq; secius damnandum merito esse censeatur quàm uehemens circa corporeas uoluptates & procliue studium, haud tamē ita uulgo existimatur.

Nam in uoluptatibus quidem nimium quenq; & profu=sum, omnes nimirum reprehendunt & damnant: plus ni=mio autem huiusmodi in rebus dolentibus & affectis, cõ=cedunt, et mirifice etiã fauent, quoniam illis ærumnas & mœrores cõuenire credunt, qui charißimis fuerint orbati pignoribus: sed profecto (pace eorũ dixerim) mirum quã=tum sibi non constare illi, & nullo rerum delectu contra=ria inter se & pugnantia etiam facere uidentur. Quid enim per deum immortalem absurdius, & à recta ratione alienum est magis, quàm à probis quidem et grauibus ui=ris insulsos cachinnorum modos, & profusam gestien=temq; auferre læticiam: nulla autem lege luctus immodi=cosq; mœrores refrænare, & inanes cõpescere lacrymas, quæ non minus ex eodem incontinentiæ fonte scaturiũt, & emanant? Et fœminis quidem uiros unguentorum la=sciuiam, et gemmarũ sumptus, et purpureas obiectare ue=stes: nihil autem curare, si in ægritudine luctuq; positæ ge nas sibi unguibus radant, aut capillos manu uellicent, hu=muq; cubent, et in puluere sedeant? Tã enim dedecet hoc, quàm illud: & utrunq; infrænis animi nulliq; obedientis rationi certißimum est indiciũ. Atqui si pueros quispiam suos, aut seruitia huiusmodi iniuria cogat perferre mala, bonorum reprehensionem non immerito subeat. Quæ ta=men uulgi fauore et plausibus mœrentes non nulli in se=ipsos turpiter patrare uidentur, quo præsertim tẽpore la xatione quadã & humanitate potius esset utendũ. Quod alioqui amoris etiã, et beneuolentiæ erga uita functos ma nifestum esset indicium. Amor enim et uera animi beneuo lentia immodicos luctus, & inanes nõ quærũt lacrymas: pulchræ nãq; sunt, et laudabiles illæ animorũ affectiones: pulchra autẽ & honesta, haudquaquam indecora et tur=

pia

pia, qualis omnis sanè est perturbatio, expetunt et exquirunt. Sed nos (ut retro diximus) opiniones sequuti inanes naturali animorũ ægritudini modicæ alioqui et exili præpostera subministramus fomenta, illiq; immanes commiscemus affectus, ex quibus omnia nimirum, quæ recensuimus, cõsequuntur mala. Sed iã receptui, si placet, canamus: & quoniam de cõpescendo luctu, minuendisq; animorum cupiditatibus, pro mediocritate nostra satis (ut arbitrer) est pertractatũ, tẽpus admonet, ut quod antè polliciti sumus, nunc exequamur: id autẽ est ut nedum non male, sed optime potius cum ijs qui uita functi sunt, actum esse ostendamus, illosq; felices & beatos merito prædicemus, ne hoc etiã consolationis remedio disputatio nostra nunc careat. Quæ non solum immodice non dolendum ob nostrorum hinc abscessum & mortem, sed neq; dolendum quidẽ, imo potius lætandum gaudendumq; esse suo iure contendit. Quo in loco celebrem illam Socratis iam morte mulctati distributionem, qua apud iudices usus est, pluribus adducere possem: Mortem scilicet alterum de duobus necessario esse, aut omnimodam sensuum omnium priuationem, placidissimo profundissimoq; somno simillimam, qua nihil (mehercule) posset esse iucundius: aut migrationem quandam in eas oras, quas qui uita excesserunt incolunt, quod expediens & optimum proculdubio existimandum esset, ut cum à uinculis & carcere liberi exierint animi, ad proprias peculiares'que posthac sedes commigrare possint. Sed cum hac de re luculẽter sanè & copiose cum à Græcis, tum à Latinis rerum scriptoribus memoriæ proditum sit, ad illos recurrendum esse censeo, nobis id tantum in præsentia delibasse sufficiat, cum ad alia præsertim ijs non minora nostra festinet oratio, quorum uel

præcipuum isthuc eße censetur. Cum enim hominũ generi nihil uel maius, uel præstabilius à dijs immortalibus contemplatione, liberoq́; mentis motu cõcessum esse constet: illo enim cum rerũ naturam & causas, cœlestiaq́; omnia, tum ipsos cognoscimus & percipimus deos, illisq́; similis hoc tantum opere humanus efficitur animus, cum temporis scilicet puncto terras percurrit & maria, diuinasq́; acie sua spectat & cõtemplatur essentias. cum hæc inquã animorum motio incitatorum, quam contemplationem uocamus, deorũ munere humanis sit permissa & tradita animis, haudquaquã ij recte incontaminateq́; illa uti poßunt, nisi prius, quantum fieri potest, à corporum contagio sese liberent & expediant, eorumq́; aspernentur consortia. Infinitas enim nobis molestias (ut ait Plato) & impedimenta uaria moles affert corporea, & ob necessariam esculentorum poculẽtorumq́; indigentiam plurimum nobis faceßit negotij: ad hoc morborum diuersa genera inde nata, nobis proculdubio sunt impedimento, ne ueras intelligere contemplariq́; rite ualeamus eßentias. Cupiditatum præterea & inanium desideriorum uaria examina idem nobis adducit corpus. Timores quinetiam, & imaginosa mentis ludibria, cæteraq́; huiusmodi deliramenta cõtinuò nobis affert. Quamobrem id, quod à plerisque dici contendiq́; solet, haudquaquam falsò (mehercule) dicitur, quòd scilicet nequaquam cum illo uere sapere liceat. Nihil enim aliud, quàm corpus, & illius affectiones, cupiditatesq́; uariæ, seditiones in nobis conflant & prælia. Nãque pecuniarum opumq́; gratia omnes ferè bellorum excitantur causæ: has autem corporis gratia expeti manifestum certe est, dum illius libidini & cupiditatibus obsequi cupiunt homines, unde philosophiæ contemptum posthac

sequi

ſequi neceſſe eſt. Et ad ſummam, ſi quippiam nobis ab illo aliquando ad modicum tempus conceditur otij, & ad aliquid exquirendum perſcrutandum'ue excitus intenderit animus, illico irruens corpus intempeſtiue conturbat & diſsipat omnia, tumultusq; & turbarum ita nos replet, ut minime quod uerum eſt & pulchrum dignoſcere ualeamus. Quamobrem certiſsime eſt tenendum, ſi ueri quippiã indagaturi perſpecturiq; ſumus, ab illo penitus nos liberari abſoluiq; oportere, ita ut ipſo animo res ipſas libere & expedite contẽplari poſsimus. Tũc enim nobis id, quod tota mente cupimus, & cuius miro flagramus deſiderio, facile cõcedetur. Quare poſt obitum (ut uera dictat ratio) nobis præſto erit prudentia, quam dum uiuimus, certe habere non poſsumus. Si enim a corporea oppreſsis mole recte aliquid ſciri haudquaquam poteſt, ex duobus ſanè alterum ſequi neceſſe eſt, aut nuſquam ſcire contingere homines, ſuoq; penitus fruſtrari deſiderio, aut morte obita id illis nimirum accidere. Et ita profectò rem ſe habere ueriſimile eſt. Tunc enim per ſe liber animus, & à corporis ſeiugatus cõtagio, nullo impedimento res agit ſuas, prius autem haudquaquam poteſt. Cuius rei uel euidentiſsimum eſt indicium, quo ſcilicet tempore hic ſumus, quam fieri poteſt ad ſcientiam proxime nos accedere, quàtum a corporis ſocietate quam longiſsime abductus fuerit animus. Id igitur omni ſtudio nobis eſt contendendum, ſi dijs ſimilem uolumus agere uitam, à corporeq; quam remotiſsime ſeiugandus eſt animus, niſi quantum neceſſarius illius nos coëgerit cultus. Habes nunc Marce hac de re Platonicã, id eſt naturæ ipſius certiſsimam ſentẽtiam, quam, meo more ſenſa magis quam uerba ſequutus, quamuis et illa quoque, cõuerti & Latina feci. Ex qua liquido patére poteſt,

 peculiare

peculiare animorum bonum, in cuius perfecto exactoq; opere perpetua illorũ summaq; consistit felicitas, nõ prius illis posse contingere, quàm è corporeis uinculis, ceu è tenebroso euolantes carcere, soluti & liberi ad illas sanè redierint oras, ubi beatam posthac stabilemq; illis degere uitam concessũ est. Hoc enim in loco ueluti extorres et profugi, neq; bene profecto se habent, neq; recte sapere possunt: sed hebetes sanè & cæcutiẽtes, quæ clarissima alioqui dei & naturæ sunt opera, ueluti in caligine solem cernunt, et coniectantes magis quàm intelligentes rerũ essentias percipere ualent. Non ab re igitur diuinus ille Socrates, hanc rem innuere uolens, uniuersam philosophãtium uitam mortis commentationem esse dixerat. Quid enim aliud agunt ij, cum à uoluptatibus, id est à corpore, cum à re familiari, quæ ministra & famula est corporis, cum ab huiusmodi denique omnibus animum seuocant suũ, quàm illum secum esse cogunt, & à corporis societate quàm maxime possunt abducunt? Secernere autem à corpore animum, quid aliud est, quàm emori discere, & mortẽ (ut inquit ille) commentari? Et profecto ita res se habet. Ex ijs enim uinculis emissi animi, qui eo usque pro mortuis haberi poterãt, tunc demum uiuere incipiunt, & perenni agitati motione, quæ illorum est uita, uegeta naturæ suæ opera recte perficere & exercere ualẽt: quod in Legibus etiã testatur Plato, recta mentis sententia inquiens se contendere animi cum corpore coniunctionem haudquaquã dissolutione esse meliorem. Quamobrem dolere & conflictari propter illorum à corpore discessum, nihil aliud profecto esse uidetur, quàm illis proprium inuidere bonum, quo dum carent, nihil aliud sanè quàm debiles & manci (ne miseros & infelices dicam) merito existimari possunt. Vt

igitur

igitur si quispiam fratre suo multum post tempus peregre reuerso, cum gratulari gauderéq; deberet, praepostere agens lamentaretur & fleret, is merito stultus & ridiculus ab omnibus haberetur: ita profecto qui mortuos luget suos, non modò quid melius illis fuerit ignorare, & stulte quodammodo illis inuidere, sed ridicule etiam desipere censendus est. Verum hoc in loco Marce illorum sese mihi offert ratio, satis argutula illa quidem, sed, ut uidebitur, futilis & falsa, qui ideo mortuos lugendos esse censent, quoniam cum prius illos impensius amassent, charosq; habuissent, illis orbati, erga quos huiusmodi exerceant affectus non habere se dicunt: qui'que asserunt, si remouendus omnino sit dolor, amorem quoque & humanitatem à rerum natura esse tollenda, ut nulla interueniēte beneuolentia, aut animi charitate, cum nostris ferarum more uiuamus. Quibus ego, quanquam satis in ijs quae antedicta sunt responsum esse non dubitem, uanis scilicet illos opinionibus laborare, neque quicquam pensi habere quid, aut quomodo amandum, & de quo, aut quantum sit dolendum: nihilominus ut mortuos etiam ij aliquando amare discant suos, nihil opinor prohibet, ut haec etiā pauca ijs quae praemissa sunt subtexantur, quod amare scilicet illos qui è uita excesserūt, nulla est inuidia, quos etiā quātum uoluerint charos habere possunt, dūmodo sciant quòd amare uita functos & illorum desiderio teneri, non est (ut recta dictat ratio) illorum gratia conflictari & extabescere, lamentabiles'que eiulatus emittere: sed potius quantum fieri potest, grata illorum recordatione perfrui, & illos incessanter laudare, id est, illos diligere, uenerari, colere. Nullius enim probi uiri à uitae uinculis exitus lacrymis est dignus, sed laudibus: nec turpi

luctu

luctu & mœroribus anxijs mortui prosequendi, sed iucũda potius perenniq; memoria sunt celebrãdi: cum alioqui à calamitatibus humanisq; miserijs, quas in hac uita subire necesse est, seiugati & liberi, ad meliorem (ut retro diximus) beatioremq; transierint uitæ statum. Quamobrem præclaro (mehercule) morum instituto apud Lytios lege sancitum fuisse memoriæ proditum est, ut si quis mœroribus lacrymisq; operã dare uellet, haud aliter id illi, quàm muliebri sumpto habitu palàm facere liceret, insigniter (ut arbitror) hoc declarantes decreto, ægritudinem hanc non uiris, sed mulieribus potius conuenire. Et profecto ita se res habet. Mulebris enim, & eneruata, & uilis admodum isthæc animorum est perturbatio, hauquaquam generosam sublimẽq; illorum indicans naturam: & iccirco fœminas uidemus uiris in luctum propẽsiores, & querulas esse magis. Hoc etiam in Barbaris ipsis Græcorum Italorumq; collatione animaduertere licet: quin & in ijs ipsis qui præstantiores animis esse censentur, & Galli & Germanorum natio, minus luctibus uacare dicũtur, quàm ij qui imbelles & formidolosi existimantur. Quales Aegyptij, Lydij, Syriq; esse perhibentur. Horũ nanq; nõnullos aiunt post charissimorum funera pignorum foueas cuniculosq; subintrare quosdam, & ibi quàm plurimos latitare dies, ne solis scilicet lumen conspiciant, quando uita functum illo priuatũ esse sentiũt. Sed quid ego hæc tibi Marce in præsentia recolo, quæ bene tibi perspecta sunt, & cognita? An mihi dubiũ est, istam in te omnium bonarum artium eruditionem, rerum maximarum experiẽtiã, animi firmitudinem, & constantiam penè singularem, huiusmodi consolatione nõ nimis egere? Nam de religione, & tua erga Deum Optimum Maximum pietate nunc taceo, qui
huius

huiusmodi in rebus, & in hoc præcipue (ut audio) casu, patientißima illa, & uere sancta uerba crebro usurpare soles: Dominus dedit, Dominus abstulit: Sicut Domino pla Iob. 1.
cuit, ita factũ est. Hæc enim profecto uera est philosophia, qua nullum hominibus præstãtius datum est bonum. Hoc uel maximum (mehercule) sapientis officium, cum commoda acceperis plurima, aduersa etiam patienter & æquo animo sufferre posse: & non minus horum causa, quàm illorum dijs gratias agere. Ingrati enim & contemptoris profecto animi esse arbitror, præteritorum quidem cõmodorum uelle obliuisci, et solius habere rationem detrimenti. non enim si quippiam quod cupimus prodiga nobis fortuna non dederit, iccirco quæ prius nobis præstita sunt cõmoda floccificere & contemnere nos cõuenit, sed præteritorum potius bonorum memoriam grato recolentes animo, præsentia, qualiacunq; fuerint, componere, & si quid Deus, aut fortuna secus uoluêre quàm cupimus, æquo id animo, et inconcussa mente ferre debemus. Semper enim constans erga Deum animus, uariantisq; fortunæ intrepidus, non deiectus, non querulus, cum cæteris in rebus omnibus, tum maxime in huiusmodi, uberes sanè cõstantiæ suæ decerpit fructus. Segregãs nanq; se ab istiusmodi (ut dictum est) mentis perturbationibus, ceu à caligine quadam uitæq; tenebris, quæ totum inuoluunt conturbantq; hominem, & ad limpidißimam se transferens mentis tranquillitatem, aut dolorosum à sese penitus expellit omne, aut cõtrarij saltem commixtione mancum illud & imbecille omnino reddere consueuit. Et quemadmodum preciosi uis unguenti semper quidem suapte natura odoratum demulcet & afficit, ad fœtida autem & male olentia nobis sanè succurrit et remedio est: ita bonorum memoria cum

ſemper delectet & mulceat, in malis poſitos etiam ſubleuat, iucundamq; illorum moleſtiæ affert medelam: illis inquam qui recordari potius ſuorum uolunt bonorũ, quàm malorum, quæ ad ſe, id eſt animum ſuũ, nihil pertinẽt, meminiſſe. Quod probis uiris uirtuteq; præditis, qui cũ multa, tum etiam præclara in ſeſe habent bona, quàm maxime facere conuenit. Id autem (ut ſæpius dixi) cum uera polliceatur præſtetq; philoſophia, quæ ſola medetur animis, inanes detrahit ſolicitudines, cupiditatibus liberat, pellit timores, eo tamen euidentius & exquiſitius efficere animaduertitur, quo idoneam magis & excellentẽ fuerit cõplexa naturam. Quæ cum eßent dicta, & iam ſatis deambulatum uideretur, idemq; omnibus placuiſſet, in cubiculum ire perreximus, quod in porticus latere collocatũ, uarijs mathematicorum monumentis, inſtrumẽtorumq; præclaris operibus erat refertum: ubi cum reſediſſet Marcus, & nos itidem feciſſemus, Ne uiuã, inquit ille, Leonice, niſi hæc tua oratio & mirifice placuit, & plurimum etiã mihi mœroris ademit. Optime enim & diligenter à te collecta ſunt omnia, quæ non ad minuendum, ſed ad tollendum etiam, & ſtirpitus eradicandum euellendumq; dolorem, meo quidem iudicio, præclare & efficaciter faciunt. Et profecto ita res ſe habet: nam ſi quis (ut recte antè dictum eſt) philoſophia duce & magiſtra rerum naturam introſpicere uoluerit, & non oſcitanter abſtruſas illius cauſas perſcrutari, & inde quod uerum eſt ſedulo excutere tentauerit, is profecto opinabilem & uoluntarium omnem reperiet eſſe dolorem. Quamobrem ſi mihi duo aut tres huiuſmodi contigerint meridiationes, & ad ſedãdos animi motus, & ad omnia recte componenda, optime ſanè mecũ actum iri exiſtimarẽ. Et ego, Nihil hoc, inquã, fieri prohibet

hibet Marce, quare & cras (si ita uidetur) & perendie tibi morem gerentes huc ueniemus. Sub ijs dictis, cum Lucas & Alfonsus surrexissent, & ad sphæram quandam æneam uisendam, quæ in cubiculi medio collocata erat, accessissent, illiusq; pulchritudinem & exactam artificij diligentiam admirarentur, & laudarent, ad illos accedens Marcus, ut illius disciplinæ inter paucos studiosus erat, & eruditus, multa & præclara cum ostendendo, tum docendo, quod reliquum dici fuit, nõ minus docte quàm suauiter & grate composuit. Habes Balbe quæ tunc de perturbationibus sedandis, & minuendo luctu inter me & Marcum fuere disputata: quæ (ut retro dixi) cum ad illius leuandum ægritudine animum nonnihil contulisse mihi essent uisa, in hoc luctuoso casu meo illa repetere, & huic scriptionis stylo mandare sum aggressus. Quod præclare (mehercule) cecidit. Nãq; id (ut uera fatear) tantũ mihi remedij sanè attulisse cognoui, ut ne temporis quidem longinqui medela, qua nihil in huiusmodi re ualẽtius esse perhibetur, mihi certe plus afferre potuisset.

PHOEBVS,
SIVE, DE AETATVM MORIBVS.



SVPERIORIBVS diebus Alexander Capella, dũ Venetijs apud Amulios fratres essem, & quotidie multa (ut fieri solet) pomeridianis præcipue horis (æstas enim erat, & dies longißimi) inter nos iucunde & licenter fabularemur: plerunq; etiã nonnullis

nonnullis propositis quæstiunculis de philosophiæ fontibus haustis, serio disertaremus (nosti enim Amulij maioris cum excussum ad omnia ingenium, tum mirificum sanè ad perscrutandas naturæ causas semper studium) incidimus in sermonem de ætatum moribus uarijs, quantaq; in illis, sicut in alijs plerisq; rebus naturæ uis, rationi minime obtemperantis, clare interdum elucesceret. Sermonis autem huiusce nobis ansam uicinus quidam præbuit senex, qui cum adolescente filio de re nescio qua litigabat: neq; id modeste me equidem & mediocriter (ut quandoq; inter domesticos fieri solet) sed magnis clamoribus res agebatur, & conuitijs etiam adeo claris, ut de longinquo facile percipi exaudiriq; possent. Et Amulius ad me conuersus, En, inquit, Leonice, ij quotidie nobis audiēdi sunt cantus: isthæc concentus harmonia aures demulcet nostras. Atqui si lites has quispiam ab illis auferret deus, satis mediocriter mehercule in alijs cum ijs actum esse uideri posset. Prudens enim est senex ille, & frugi, paterq; familias sine controuersia bonus. Iuuenis autem hilaris natura est, & officiosus: & cum ingenio docili, tum literis etiam satis expolitus: uerum contentiones istæ inter illos & rixæ utrosq; sanè turpiter commaculant, & in omni hac uicinia male diffamant. Tum ego, Ne mireris inquam Amuli, neq; id omnino illis uitio uertas, quanquàm immodicum certe omne, & quod laudatam excedit mediocritatem, ueluti rationi contumax & rebelle, non immerito à sapientibus dānari reprehendiq; soleat. Magna nāq; in huiusmodi affectibus est Naturæ uis, excellensq; proculdubio & efficax illius potentia: quæ coërceri quidem compesciq; aliquanto potest: interimi uero, aboleriq; penitus haudquaquam potest. Nisi siquis (ut aiunt) Gigan-

tum

tum more cum dijs bello depugnare contendat. Et quid est, inquit Amulius, quamobrem agrestes eæ & concitatæ animorum motiones uinci superariq; nequeant? An non domina in nobis est ratio, quæ rebelles alioqui, & effrænes illarum insultus iure suo inhibere & frangere ualeat? Tū ego, Vera, inquam, narras Amuli, & quæ, si recta rationis uia proficisci homines uellent, & non potius in lubricum præcipites ferri, proculdubio facere deberēt. Cum enim rationem appetitumq; quiuis in se habere censeatur: & illa quidem diuina sit res, omnia consilio perpendens, nihil temere, nihil agens perperam: hic uero preceps, importunus, effrænis, omnia nimis uolens, cui dubiū esse debet, illi quidem meliori excellentioriq; hominum parti imperium: huic uero peiori & inferiori obsequium famulitiumq; merito conuenire, & iure deberi? Verum quotus quisq; est Amuli, qui ita in præsentia uitam degat, ut omnino sibi imperare ualeat: & non potius aut auaritiæ deseruiat, aut luxuriæ sit mancipatus, aut ambitionis æstu, huiusmodiq; alijs animi affectionibus conflictetur, et transuersus ad peiora rapiatur? Paucos hoc in loco prætereo, excipiq; uolo, quos æquus amauit Iupiter, aut ardens euexit ad æthera uirtus, ueræ religionis philosophiæq; cultores legitimos & alumnos, qui se à corporis illecebris contubernioq; seuocantes, illudq; nisi quantum summa est necessitas, negligentes, animo certe uiuunt, soliq; deseruiunt menti. Cuius euecti pennis, & ad alta leuati, ea demum speculantur & cernunt bona, quæ non immerito nefas esse homini loqui, electionis redolentissimum uas, diuus scripsit Paulus. De pluribus uero nunc loquor, illisq; qui humanis addicti negotijs, in ciuilibusq; exerciti administrationibus, cum publice communes, tum pri-

uatim res curant ſuas. In ijs nanque de huiuſmodi ætatum uarijs, & ueluti pugnantibus inter ſe ſtudijs, morumq; diuerſitatibus, de quibus cœptum eſt loqui, perſpicuè animaduertere licet. Qua de re nõnulla me habere profiteor, quæ adoleſcens olim de clariſsimo uiro Phœbo Capella audiui, auditaq; notaui, dum cum Thomæo patruo meo, uiro (ni me fallit amor) inter paucos & probo & erudito, ad illum uiſendum acceſsiſſemus. Non ſua autem iſthæc (ut erat candidus) ingenue profitebatur eſſe tunc Phœbus, ſed de antiquorum deprompta theſauris, præcipueq; ex Ariſtotelis deducta cõmẽtarijs palàm præ ſe ferebat. Quod ſi uolentibus uobis id me nunc facturum exiſtimarem, libenter equidem illa ut tunc à me patrui iuſſu fuere conſcripta, in præſentia referrem. Quare ueſtrum eſt iubere, meum uero exequi. Hic cum ambo ſe percupere dixiſſent, & Amulius etiam maior magnam ſe habere gratiam illis litigioſis uicinis ſubiunxiſſet, quando eorum cauſa ea nunc auditurus eſſet, quorũ mirifico teneretur ſtudio, rogaretq; inſuper, ut omnia quæ cõſcripſiſſem, ordine recenſerem ſuo: Quãdoquidem, inquam, nihil aliud in præſentia habetis, quod huic ſermoni præuertendum putetis, faciam quod ſponte mea receperam, idq; libenter mehercule faciam, tum ut ueſtræ morem geram uoluntati, quos plurimi facio, tum ut longo temporis interuallo repetendo ea nunc renouem, quæ olim adoleſcens cupide didici, & ſcriptionis etiam intercedente opere, memoriæ mãdaui. Hoc autem res tranſacta eſt modo. Cum enim (ut retuli) ego & patruus ad Phœbum ueniſſemus, qui forte fortuna ex leui quadam commotiuncula domi ſe continebat, et neſcio quis incidiſſet de difficili moroſaq; ſenatoris cuiuſdã primarij natura, qui cũ alioqui uir eſſet probus & prudens,

reiq;

reiq; cũ priuatæ,tum publicæ, ſiquis alius, bene gerens, aſper tamen erat & immitis adeo, ut nemo ad illum lubẽs unquã accedere uellet. Cæterum iuuentuti etiam ſic infenſus,ut in minimis quibuſq;, & contẽnendis etiam iuuenũ delictis,contumax ſemper, & inexorabilis eſſet animaduerſor: quẽ cũ patruus dãnaret meus (mitis enim uir erat ingenij) miraretur q; inſuper,in tali præſertim uiro, tantã morum acerbitatem,& erga iuuenes præcipue tam auſteram inclemẽtiam, ueluti ſi ab initio ſenex natus eſſet,nullamq; ætatis nouellæ experiẽtiam habuiſſet unquam: Non eſt quod mireris Thomæ, inquit Phœbus, ætatis enim iſthæc naturalia ſunt uitia ſeu mores,ſiue proprios quoſdam peculiaresq; affectus eos appellare maluerimus. Non ſolum enim moroſi difficilesq; omnibus ſunt ſenes, ſed multa etiam natura huiuſmodi habent alia, quæ ſibimet non minus quàm alijs,illos moleſtos efficiũt.Pariq; rationis modo adoleſcentibus ſua ſunt ſtudia,peculiaresq; animi affectiones,quibus cupide ad pleraq; & petulanter illa effertur ætas. Quorum omniũ rationes & cauſas diuinus uir Ariſtoteles in ſuis de arte rhetorica commẽtarijs, præclariſſime quidem ut omnia, uerum breuiter admodũ & conciſe retulit. Qui certe libri cum paucis omnino obſcuritate ſua ſint peruij,iccirco ab omnibus ferè ætate noſtra cũ philoſophis,tum etiã rhetoribus fuere neglecti, cũ tamen artis præcepta in ſeſe colligant omnia, miraq; ſtyli breuitate nihil eorum prætermittant, quæ antiqui poſt illũ rhetores magnis uoluminibus ſunt proſequuti. Tum patruus: Si quidem, inquit, Phœbe moleſtus tibi eſſe non uererer, & commodo tuo fieri poſſet, libenter de te audirem, quid nam uir ille de ijs ætatum differentijs eo in opere diſertauit. Et Phœbus, Nulla eſt inuidia, inquit,

Thomæe, nihilq́; prohibet ea me in præsentia recensere, quæ & tibi grata fore cognosco, & mihi relatu facilia esse non dubito, quippe qui ab illa sum lectione satis recens. Cæterum ne in plerisq; styli philosopho consueti te defatiget modus: causarumq́; signatarum magis quàm expressarum concisa lasset breuitas, longiori orationis ductu, eodemq́; planiori pro uirili omnia explicare conabor. Recte sic fiet, inquit Thomæus, quamobrem exordire, & ad me conuersus, Tu uero, inquit, Leonice omnia diligenter excipe, acurateq́; notato, & ne quid tibi excidat caue. Posthæc dicta sic exorsus est Phœbus: Quoniam ætatum mihi omnium, sed iuuenum præcipue senumq́; mores sunt explicandi (in ijs etenim, quam modo quærimus, diuersitatis species, expressa habet indicia, cum reliquæ interiacentes ætates, sicut harum sunt mediæ, sic communes utrisq;, & ueluti commixtos habere uidentur affectus) hoc profecto dicendorum exordio conuenientissime uti posse nunc uideor, quòd scilicet non solum annorum spatijs, ætatisq; ratione iuuenes à senibus distare censentur, sed multo etiam magis uitæ institutis & moribus. Contrariæ etenim & pugnantes inter sese nimirum eæ uidentur esse ætates. Iuuenes nanq; (ut ab ijs nostra exordiatur oratio) cupidi sunt maxime, & quæcunq; uolunt, uehementer sanè, & nimis uolunt, eaq́; perficere & complere, ætatis laboribus non cedētis præsidio, ualenter possunt: id autem maxime circa corporeas perspicitur uoluptates, cum alias sanè, tum eas præcipue, quæ ad res spectant ue nereas. Harum enim ualde sunt cupidi, ætatis calidæ & humētis gratia, & ad illas effrænes incontinētesq́; sunt, sibiq́; ipsis haudquaquam in huiusmodi re bene imperare possunt. Sunt præterea circa quæcūq; alia deside-

Iuuenilis ætatis affectiones.

ria natura incōstantes iuuenes, & leues, citoq; quod ualde uoluerunt, leui de causa negligunt, cupitæq; admodum rei satietatem incurrūt, uehementes enim & ualidæ sanguinis & spirituum in iuuenili corpore motiones agitationesq; in causa nimirū esse censentur, cur acutæ potius quàm solidæ, & magnæ quàm perdurantes illorū sint appetentiæ, ueluti ægrotātium sitis & fames esse cōspiciuntur. Facile etiā omnes excādescunt iuuenes, iraq; leuibus de causis superātur, & quo traxerit illa, nullo respectu sequūtur, furoriq; & iracundiæ tunc magis impetu, quàm consilij rationisq; ductu omnia faciunt. Honoris enim cupiditate, cui maxime student, cōtemni negligiq; æquo animo nō ferunt, iniuriaq; affici feruida ingenio ætas minime patitur. Cū autem honoris (ut diximus) cupida & appetens sit inuētus, nō minus etiam contentiosa pugnaxq; esse percipitur. Siquidē supereminere alios, & omnibus maxime excellere semper cupit: cōtentio autem, & peruicacia excellentiæ appetitus esse quidam iure cēsetur. Ceterū ut isthæc hoc se habeāt modo, ad utrasq; tamē has animi affectiones propēsiores sunt iuuenes, quàm ad uehementem anxiamq; pecuniarum appetētiam. Pecuniæ nāq; minime iuuenes natura sunt auidi. Huius autem rei causa esse cēsetur, quoniā ætatis nouellæ gratia adhuc indigentiam non sunt experti: nō curant igitur quorum sibi futuram indigentiam nō uerētur. Sunt præterea iuuenes haudquaquā maligni, sed faciles potius & fatui, id autem iccirco, quoniam multas adhuc hominū peruersitates & uersutias nō cōspexerunt, neq; notas habēt. Credula etiam, & optimæ semper spei illa est ætas, quoniā sui breuitate exiguitate'ue in paruo temporis spatio neq; sæpius fuit decepta, neq; à spe frustrata sua. Quēadmodum enim uino madidi hilares

ſunt, & ſpei ſemper bonæ, ſic ætatis gratia iuuenes nõ immerito ſe habere uidentur. Viuere autẽ bona cum ſpe ut plurimum iuuenes iccirco cenſentur, quoniam ſpes quidẽ futuri eſſe apparet temporis, memoria uero præteriti, iuuenibus autem quod reſtat futurumq́; eſt, multum certe protenſumq́; eſt, præteritum uero admodum exiguũ & breue: quamobrẽ primis in annis cum paucorum omnino meminiſſe poßint, omnia certe ſibi in ſpem ponunt, nihilq́; tam arduum eſt, quod non ſibi illa polliceatur ætas: id'que ipſum in cauſa eſt, cur facile etiam, & nullo negotio falli decipiq́; poßint iuuenes. Quicunque enim omnia ſibi ex uoto ſucceſſura confidũt, ij profecto ſubdolorũ peruerſorumq́; fraudibus ſunt obnoxij. Quamobrem adulatoribus ſcurriſq́; facile patent iuuenes. Quæ etiam res fortes illos animoſoſq́; nimirum efficere uidetur. Cum enim natura (ut diximus) iracundi ſint iuuenes, haud facile timere ſciunt. Spes autem bona illos ſanè audaces facit, & profecto ita ſe res habet. Iratus enim timet nemo. Qui uero bene ſemper ſperat, præſenti & magno quodcunq; aggreditur animo, & ad omnia intrepidus, & audax proculdubio eſſe conſpicitur. Verecundi quin etiam ſunt iuuenes, & natura magnanimi. Et uerecundi quidem, quoniã alia adhuc ætatis gratia non norunt bona, neq; pulchra, niſi quæ illis patriæ dictant leges, urbiſq; bene inſtitutæ conſuetudines oſtẽdunt, à quibus diſcedere illos mirifice pudet. Cum igitur quippiam ſibi ſecus agere uidentur, illorũ memorati facile uerecundiam incurrũt. Magnanimi autẽ nõ immerito eſſe cenſentur, quoniã tum nullas offenſiones quibus humiles ſanè, & deiecti fiunt homines, illorũ breuis recepit ætas: tum plurimarum, quæ longo proueniunt æuo, neceßitatum penitus ſunt inexperti: & alioqui bona

illos

illos spes, qua (ut dictum est) uiuunt, erectos, & magna quæq; sibi pollicētes planè efficit: quod magnanimi proprium & peculiare esse cēsetur. Non immerito præterea pulchre magis quippiam, & decore facere eligūt iuuenes, quàm fructuose & utiliter: quoniam more potius & consuetudine (ut diximus) quàm ratiocinationis cōsilijq́; opere uiuunt iuuenes. Ratiocinatio autem (ut uidetur) ipsum spectat utile, cum mos & uirtus quod pulchrum est appetant & consequantur. Est præterea inter omnes maxime ætates Iuuētus cum amicorum semper cupida, tum socios sibi complures facile concilians: hoc autem ideo, quia conuersatione conuictuq; ætas illa apprime gaudet, unà que cum sibi gratissimis semper esse cupit. Nec minus etiam quia nihil adhuc utilitatis ratione iudicat: neq; quod cōducibilius, aut ex re sua magis, sed quod iucūdius gratiusq́; expetit. Omnia autem quæcunque uolunt, uehementer & anxie iuuenes semper uolunt, eoq́; peccare uidētur, quòd nihil mediocriter expetunt. Plus nimio igitur amant, & magis quàm par decensq́; sit odio habent, eoq́; modo in cæteris animi affectionibus se habent, nimijq́; in omnibus sunt: qui etiam scire se omnia planè credunt, omniumq́; sibi iudicium præsumptuose adsciscunt & uendicant, de omnibusq́; licentiose contendunt: quæ res nonnihil causæ præbere uidetur, cur omnia ætas illa nimis uelit. Iuuenum autem delicta, ad contumeliam magis, quàm ad maliciam uergere uidentur. Excellentes enim esse uolunt (ut dictum est) & magnanimi. Libere autem reprehendunt, & nullo damnant respectu: quoniam omnes rectos probosq́; esse rati homines, et ad simplicitatis, integritatisq́; suæ regulam illos examinātes, si quid secus illis acciderit, aut à quopiam contra illos quid perperā patratū fuerit,

ceu indigna patiantur, non æquo ferũt animo, neq; dictis bene temperare possunt. Est etiam ad irridendum ætas illa propẽsior. Vrbanitatis enim, & cauillorum, dicteriorũq; multum secum semper habet, cùm contumelijs gaudeat. Vrbanitas autem ipsa moderata quædam, & quodamtenus castigata contumelia esse censetur. Et iuuenum quidẽ mores, qui naturæ fontibus scaturire uidentur, non ab re huiusmodi esse conspiciuntur: quibus tamen ratio, uitæq; institutio, & educationis modus moderari efficaciter possunt. Grandiores autem natu, & ij qui decursa iam ætate meliori, in senium uergũt, contrario (ut dictum est) se habere uidentur modo. Quoniam enim multos uixerunt annos, multotiesq; (ut par est) fuere decepti: pluraq; semper rerum esse mala, & perperam euenire uiderunt, neq; obstinate quicquam asseuerant, neque uehementer, nimisq; quippiam expetunt: neque se scire omnia contendunt, ambigendoq; semper dictis addunt suis forsitan, contingit. Suspitiosi præterea sunt senes, cogitandoq; ad peiorem semper uergunt partem: hoc autem iccirco, quia increduli sunt. Increduli uero non immerito esse cẽsentur, propter multarum experientiã rerum, in quibus sæpenumero eos fuisse deceptos, & spe frustratos uerisimile sanè est. Quamobrem hac etiam de causa, neq; impendiò plus amant senes, neq; nimis oderunt: uerum secundum Biantis præceptum, amant ut osuri, & oderunt ut aliquando amaturi. Pusillanimes quinetiam sunt senes, quoniam longis annorum spatijs humiles sunt effecti, uiuuntq; deiecti, & quasi despectui habiti: quamobrem magnum & excellens nihil eorum, quæ in communi uersantur uita, amplius desiderare uidentur. Ad hæc illiberales etiam sunt senes, tum quia ex necessariarum numero rerum facultates

Senum mores.

tes diuitiasq; existimant, tum etiam quia longa docti experientia, probe sciunt, facultates sibi uĕdicare, & acquirere, rem sanè esse perdifficilem: easdem uerò amittere & deperdere, perquàm facilem. Timidi præterea sunt, & ad omnia formidolosi. Cõtrario enim iuuenibus se habĕt modo: calentes nanq; sunt illi & feruidi, ij uerò algentes natura, & frigidi. Timor autem frigiditas quædam non immerito esse censetur. Cupida quinetiam uitæ huiusmodi est ætas, in extremo præcipuè constituta senio: quoniam absentis maximè rei cupiditas desideriumq; esse perhibetur, & cuius quispiam rei indiget maxime: maior autem illis ætatis decursa est pars, qua certe indigere uidentur, inde illius desiderio flagrant. Queruli etiam semper sunt senes pusillanimitatis gratia, & ad utile magis quàm ad pulchrum respiciunt. Hoc autem ideo, quoniam seipsos amantes sunt senes: utile uerò ad se pertinens reputant bonum: pulchrum autem simpliciter communeq; existimant bonum. Impudentes præterea magis, quàm uerecũdi sunt senes, quoniam non æque pulchrum sicut utile curantes, negligunt sanè, & pro nihilo ducunt cuiusmodi esse uideantur, alijsq; appareant. Desperant autĕ ut plurimum de omnibus senes, propter longum uitæ usum, rerumque experientiam. Cum enim hominum res omnes ferè malas usu pertractationeq; animaduerterint, & esse cognouerint, malos etiam non immerito timent euentus. Cui certè opinioni non nihil illorum innata suffragari uidetur timiditas: cum enim timeant omnia, non ab re de omnibus etiã desperant. Viuere quinetiam memoria magis censentur, quàm spe: illorum nanque quod uitæ restat exiguum est, præteritum uerò longum: spes autĕ (ut retro dictum est) temporis est futuri, cum præteriti sola restet memoria.

Quæ etiam res illorum nugacitatis uera censetur esse causa. Garruli enim ferè, nugacesq; omnes sunt senes: reminiscentes nanq; non sine quadam uoluptatis titillatione, & loquendi pruritu, quæ præterita sunt nullo dicendi fine commemorant, & inculcant. Illorum præterea indignationes, excandescentiæq; acutæ quidem esse animaduertuntur, uerum imbecilles, & mancæ. Ex desiderijs autem alia quidem longo penitus æuo discesserunt, & euanuerunt, alia uerò imbecillia sunt, & inania. Quamobrem neque appetentes ualde natura sunt senes, neque actuosi admodum, & prompti, nisi lucelli quippiam arriserit, & hanc ob causam temperati apparent senes esse: uehementes enim & concitæ ab illis abscesserunt appetentiæ, neglectisq; alijs, solis inseruiunt lucri compendijs, ut cum alia ætatis uitio sibi desint, cõmoda hac se saltem uia sustentare ualeant. Magisq; ratiocinatione consilioúe (ut diximus) uiuunt senes, quàm consuetudine, & more, cum ad utile magis, quàm ad pulchrum honorabileq; conspiciant. Peccant autem in ijs quæ secus admittunt, & perperam agunt senes iniustitia potius, quàm contumelia: nõ enim arroganter insultant ut iuuenes, sed peruerse & maligne agunt. Queruli etiam esse percipiuntur, quoniã ætatis uitio & pati dura se omnia, & tantum non passuros existimant: quamobrem tanquam in duris et aduersis constituti, & mala mox expectantes, alia conqueruntur, sortemq; damnant suam. Et ea etiam de causa neque urbani sunt, neque risus facetiarumq; amici. Et ij quidem naturales senectutis sunt mores. Ex quibus etiam manifesto perpendere, recteq; cognoscere licet, quæ nam aliarum etiam ætatum peculiaria sint studia. Cum enim inter has coniectæ, non ab re quodammodo censeantur esse mediæ,

non

non eminentes adeo & expressos hos animorum habere affectus, sed refractos, & ueluti adumbratos, uero consentaneum est. Quam rem usu experientiaq; quotidie indubitatam certamq; esse percipimus. De puerorũ autem moribus, quorum ætas ueluti uitæ exordium quiddam iuuenilem præcurrit ætatem, illis certè in commentarijs nihil Aristoteles refert: à Cicerone tamen nostro nullius nõ philosophiæ peritißimo, hæc memoriæ prodita fuere, quæ quoniam proposito conueniunt sermoni, non malum est hoc etiam in loco recẽseri: Pueros scilicet æqualibus coætaneisq; natura duce delectari, libenterq; cum eisdem cõgregari, & se ad ludendum dare. Fabellarumq; auditione mirifice duci: quas etiam narrare alijs gestiunt. Pompis præterea, spectaculisq; & huiusmodi ludicris rebus præcipue pueros teneri, & ob eas res sitim plerunq;, & famem perferre. Esse præterea eos natura liberales, deq; eo quod ipsis superat, alijs libenter gratificari: aduertereq; etiam curiosius ea quæ domi fiunt, ut illa proferant: commentariq; aliquid & discere semper uelle, & eorum quos uident nomina non ignorare: quibusq; in rebus cum æqualibus decertant, si quidem uincunt, lætitia efferri: econtra uerò debilitari, animosq; demittere, si forte uincãtur. Hæc cum dixisset Phœbus, & illis addere quædã (ut mihi tum uisum est) uellet, quominus id facere posset, quorundam interuentu, qui illi à senatu mandata cũ literis attulerũt, prohibitus est: eoq; modo disertatio tunc illa finẽ habuit, quam omnibus (ni fallor) expressam uerbis, & ut eam tũc literis mandaui, in præsentia retuli. Vbi Aristotelis quidem sensus ad unum omnes, Phœbi uerò explicationẽ, & Latina uerba proculdubio, si hæc retines, tenere te Amuli non dubites. Tum ille qui attentam sanè mihi auscultando

præstit

præstiterat operam, & siccis (ut aiunt) auribus omnia ebibisse uisus erat, Profecto, inquit, Leonice, dum hæc mecum cogito, & tota mentis acie examinare contendo, ita se mihi res, & non aliter ac dictum est, habere uidetur. Neque secus mehercule fieri posse apparet. Has enim in naturæ uisceribus congenitas, coalitasq́; animorum affectiones, illarũ utraq; parturit semper, & in lucem producit ætas. Quamobrem posthac uicinis ijs nostris æquior sanè ero, admirariq́; desinam, cur semper litigent, cũ ætatum uitio potius, quàm suo, naturaliter uterque ægrotare uideatur. Cæterum unum est, quod à te scire nunc cupio, quod etiam dum loquereris animi me dubiũ habuit: an scilicet Phœbus noster, quem modo audiuimus uerbo tenus (ut pleriq; solent) dum uixit sit philosophatus, & isthæc ceu dictata retulerit: an potius philosophorum placitis initiatus, illorum sacraria legitime riteq́; sit ingressus, neque extremis (quod aiunt) labris gustauerit, sed toto pectore illas hauserit disciplinas: mihi enim hucusq; persuasum creditumq́; est, illum quidem in reipublicæ negotijs, & ad se petinentibus administrationibus, sine controuersia inter alios omnes excelluisse, ex literarum autem studijs humaniora semper calluisse, in illisq́; etiam quodam tenus progressum, omnes ordinis sui homines facile superasse. Verum à maioribus disciplinis cum uitæ instituto, tum ingentibus occupationibus, à quibus nunquam ferè (ut audio) uacabat, abductum seiugatumq́; fuisse: quamobrem si quid habes quod ab hac me animi perplexitate liberet, rogo te ne graueris adducere. Et ego, Id à me, inquam, exigis Amuli, quod sanè tibi integre persoluere nõ possum: qua enim tempestate uir ille floruit, ego per ætatem huiusmodi de re haudquaquam iudicare poteram. Ve-

rum de

rum de patruo sæpenumero audiui, magnum illius ingenium nunquam per occupationes à literis cessasse, sed bonarum semper artium studijs fuisse addictum, & philosophiæ præcipue, quòd eam facultatem cæteris & studijs, & artibus antecedere existimaret. Quinetiam addebat Bessarionem philosophum & theologum (ut fama nostis) eminentissimum, dicere solitum, Phœbum, nisi diuersa illum uitæ ratio à philosophiæ iugi studio auocatum & abductum, in ciuilia negotia publicasq; coniecisset curas, sine controuersia omnes sui temporis philosophos facile superare potuisse. Hæc de illo audiui, & hæc uobis testata nunc refero. Cæterum eius certè rei quæ ad me tūc attinebat, & cuius gustatum aliquem habere tunc poteram, iudicium audacter sanè & libere hic proferam meū, ea uidelicet tempestate audisse me neminem qui tali uerborum ornatu & copia, tantáq; eloquentiæ suauitate & gratia polleret: & aderant sanè pleriq; tunc magni nominis oratores, senatoresq́; primarij, inter quos Bernardus Iustinianus, & Vitalis Landus cum excellerent maxime, primas tamen Phœbo sine controuersia deferebant. Hæc cum dixissem, nō nullaq́; etiam alia subiungere pararem, campana intonuit illa, cuius signo patricij ad senatum accedere admonentur. Quare cum fratre Amulius consurgens: Nos quidem, inquit, imus quò uocamur. Tu uerò Leonice memento ea quæ tibi de Phœbo restant, posthac, cum otium dabitur, omnia recensere.

Seue

SEVERINVS,

SIVE, DE RELATIVORVM NATVRA.



VO ſunt Fuſce frater, quæ de uniuerſo entiũ ambitu difficulter admodum à nobis, & obtuſe comprehendi, dignoſci'ue poſſunt. Primum ſcilicet ens, & ultima omnium materia. Neque hoc immerito (mehercule). Nam cũ omnis noſtra cognitio per formæ, quam ſpeciem uocant, comprehenſionem fiat quandam, quæ uiſis intercedentibus ab ipſo colligitur intellectu: alterum quidem cum longe omnem ſupereminеat mentium formarumq; omnem ordinem, haudquaquam intelligi, aut recte percipi poteſt: alterum autem quoniam ſuapte natura informe quiddam eſt, & minimæ (ut aiunt) eſſentiæ, comprehendi bene iccirco dignoſci'que nequit. Quamobrem diuinus ille Plato, à quo ceu ab exuperanti quodam fontis initio, omnia rectè philoſophantium emanarunt fluxeruntq; dogmata, materiam quidem ipſam ſpuria quadam diſcurſus ratione percipi poſſe dixit. Ad primæ autem cauſæ cognitionem non ex directo ſanè, ſed per omnium abnegationem remotionem'que aliorum, humanum quoad fieri poteſt, peruenire cõcedit animum. Vnde recentioribus poſtmodum Academicis affirmandi præbitam fuiſſe anſam iure contenderim, primam ſcilicet materiam, deo diſsimiliter eſſe conſimilem. ſiquidem ut ab illo omnia quæcunq; ſunt merito abnegantur entia, cum longe ſupereminеat, & præcurrat omnia, omniumq; ſine controuerſia ſicut eſt primus, ita ſit optimus: ita à materiæ

natur

natura uniuersum remouetur entium genus, cum quidem illa peior omnibus, & uilior merito esse censeatur, & neque sit quippiam quod rite ostendi monstrariq́; poßit, neq; sensus moueat ullos, omniumq́; intellectus notionem ceu Homericus ille Proteus semper lubrice fallat & fugiat. Et profecto ita se res habet: cum enim cognoscens intellectus existat, cognitum uerò ipsa rei sit essentia, eò confusior sanè hebetiorq́; cognitio non immerito redditur omnis, quò res depreßiorem obtusioremq́;, aut exiliorem habere essentiam perhibetur: ut non ab re illud apud Peripateticos uulgatum paßim perstrepat axioma, quo scilicet ad esse res se habent modo, eo ad cognosci percipi'ue proculdubio se habere. Huiusmodi autem post primam materiam cum pleraq; reperiri alia, ab ijs qui res curant philosophis memoriæ proditum est, tum uel maximè illorũ esse naturam, quæ dicuntur ad aliud. Quæ nos usitato iam & recepto uocabulo, correlatiua paßim appellare solemus. Hæc enim ob adumbratam imbecillemq́; naturæ suæ essentiam cũ habitudines quædam siue respectus existant, à nobis aut uix, aut ne uix quidẽ dignosci percipiq́; possunt: sensus enim isthæc haudquaquã mouere ualent, à quibus origo (ut aiunt) & initium omniũ est notionum. Quamobrẽ multæ in ijs difficilesq́; admodum uersantur quæstiones, & non contẽnendæ philosophantium controuersiæ perstrepunt, cum de illorũ essentia & natura, tum de proprietatibus & differentijs aßidue contendentium, & inter se dißidentium, ut non immerito huiusce rei pertractatio, apud Paripateticos maxime, & difficilis semper habita fuerit, et nũc, si unquã aliàs, apud nostrates obscurus admodum, et plenus controuersæ dissensionis iste sit locus. De quo nõnulla à me, et aliàs sæpe Correlatiua.

cum

cum alijs, & nuper cũ Seuerino monacho, uiro (ut nosti) cum probo, tum inter eius ordinis uiros etiam erudito, & diligẽter satis fuere quæsita, & mediocriter disputata. Nã cum superioribus diebus ad diui Georgij cognomẽto Maioris, insulam ego, & B. Carzonus, & N. Spinellus cymba uecti fuissemus, quò animi causa nõnunquam accedere soleo (nosti enim cum loci illius à uulgo semoti festiuitatem & gratiam, tum hortorũ in illo syluarumq; semper uirentium uarias amœnitates) fortè illum offendimus solũ in porticu quadam deambulãtem, cogitabundo (ut uisum est) similem, et clausum libellum manu gestantem. Qui cũ nos accedentes procul conspexisset, hilari statim accurrẽs uultu, Saluete, inquit, tria mihi charißima pignora, quos ego licet sæpe (quæ uestra est humanitas) & uideã, & alloquar, sæpius tamen id mihi contingere sanè optauerim, imo totos (ut aiunt) cum noctibus etiam dies libenter uobiscũ transmittere percuperẽ. Et ad me cõuersus, Quàm opportune, inquit, huc uenisti Leonice, ad quem profectò ire decreuerã, nisi felix quædã mea hodie sors, seu potior sorte deus, te huc adduxisset. Tum ego, Gaudeo, inquam, mehercule, & mirifice lætor mi Seuerine, quãdo huc tibi optatus (ut ais) & tẽpestiuus acceßi: uerum quidnã isthuc est negotij, aut in quo tibi nunc præsentia mea adeo usui esse potest, ut quod nõ sæpe facis, etiã ad me uenire cogitares? Et ille, Haud magna, inquit, Leonice, tibi præsertim (ut arbitror) res illa est, de qua percontari & cõsulere te uolebam, mihi uerò cũ suapte natura, tum ueterũ maxime uarijs & dißidẽtibus ferè sententijs satis difficilis & abstrusa esse uidetur. Quamobrem nisi & tibi & istis molestum me esse subuererer, libenter de te nunc id quærerem, quod alioqui me ambiguũ iamdiu et dubiũ animi habuit.

Cum ego, Non est nunc quod dubites, inquam Seuerine, aut mihi, aut istis (ut pro omnibus loquar) importunus unquam aut molestus uideri, qui & te fraterne amamus, & huc accessimus, ut te simul uideremus, & aliqua de re seria tecum & loqueremur inuicem, & audiremus: illud profecto tibi magis est dubitandum, an id quod in præsentia quæris, & quod te animi (ut dixisti) iandiu ancipitem habuit, apud me ex sententia depositum reperire poßis, qui neq; studio (mehercule) neq; diligentia ulla in re anteire uideor, qui tibi potius primas cum omnibus alijs, tum in ijs præcipue, quæ ad literarum pertinent studia, facile concedo. Verum age, profer quod cupis, & in mediũ constitue. nanq; pro huiusmodi disquisitione operam ego tibi, quãtula est, hodie polliceor meam. Et ille, Benigne, inquit, & amanter facis, ut semper omnia Leonice: sed abscedamus paulisper hinc (si placet) & aliquò concedamus, ubi minus noster interpellari poßit sermo: monachis enim istac (ut uidetis) ultro citroq; commeantibus, satis frequens & inquietus is est locus. In xystum igitur (si uobis uidetur) diuertamus: siue in syluã potius illam eamus, quæ raris consita stirpibus, neq; solis penitus officit radijs, & illorum tamẽ uim crebris interpellantibus umbris frangit, neq; sedentes illic, aut inambulantes lædere patitur. Hic cum ei omnes assensi fuissemus, primus ire perrexit, nosq; per transuersum hippodromum, qui orto in medio à uitium efficitur ordine, in propinquam deduxit syluulam, quæ ad illius consita latus, omnibus profecto gratiarum renidet illecebris. Et ad nos conuersus, Hic, inquit, locus commodam planè sermonibus nostris interpellante nullo præbebit mansionem, siue eos sedendo, seu inambulando potius transigere maluerimus, licet nunc, uel quia imbe-



cillo ſum corpore,uel quia deambulaui,ſatis blande me il-la inuitent ſedilia, quæ ſub antiqua collocata lauro, molli undiq; hedera conueſtiuntur. Tum ego,ut lubet,inquam Seuerine,& ut commodo conducit tuo, & alioqui ſeden do(ut aiunt)& quieſcendo,ipſe ſeipſo fit ſapientior ani-mus,quod perperam à multis receptum, uulgo hodie ſic proditur, cum longe tamen elegantiorem,& reconditum magis uerba illa recte intelligentibus innuant ſenſum.Cæ-terum de hoc aliàs.Tu uerò quando tibi morem geßimus, & conſedimus omnes, ediſſere id, de quo te iandiu animi ancipitem fuiſſe dicis. Tum ille, Superioribus,inquit,die-bus, dum Categorias Ariſtotelis nouitijs noſtris interpre tarer(ſcis enim quòd aliquot iam annos hoc mihi muneris eſt demandatum, ut Ariſtotelica inter noſtros profitear) de relatiuorum diſſerens natura, proprietatem illorum eſſe quandam, peculiaremq; naturam de philoſophi ſen-tentia cõfirmaui,ut ſimul eſſent illa, & dicerentur ſimul, ita quòd altero poſito,poneretur & alterum : & alteru-tro interempto,reliquum etiam interire neceſſe eſſet.Ve-rum nõ in omnibus hoc cõtingere relatiuis, licet ut in plu ribus id uerum eſſe appareret. Quo in loco id tum mihi, quod ſæpius aliàs etiam,in mentem uenit,non ab re dubi-tare,quænam peculiaris alia relatiuorum proprietas repe riri poßit magis,quando hæc ipſa, quæ uidetur maxime, ſimul ſcilicet eſſe natura illa, haudquaquam omnibus con tingere relatiuis manifeſte percipiatur : & cum philoſo-phus Ariſtoteles in alijs quidem rerum prædicatis accura tas aſſerat,& quadrantes illorum proprietates,in ijs autẽ quæ ſunt ad aliud, hanc exilem adducat & mancam, uni-uerſum illorum ambitum minime complectentem.Latinos igitur Ariſtotelis,inquit,interpretes diligenter euolui o-

mnes

mnes, & quid hac de re ſcriptis mandaſſent ſuis, accurate perquiſiui, qui tantū (meo quidem iudicio) abſunt ut hāc rite ſoluant dubitationem, ut illorum uel accuratiſſimus D. Thomas in commētariolo quodam ſub certam hanc relatiuorum diſtinctionem ponat, æqualiter ſcilicet illa, & inæqualiter eſſe, & dici: ex quo non eiuſdem eſſe naturæ omnia, ut ſimul exiſtant, & poſita ſe inuicem ponant, & perempta interimant, non ſolum admittere uir ille, ſed etiā conſtanter aſſeuerare uidetur. Hanc igitur ob cauſam (ut retro dixi) ad te accedere cogitabam: & hoc eſt quod te percontari, & rogare inſuper nunc ſanè uolo, ut ſiquid uidelicet hac de re à Græcis autoribus expoſitum, pertractatumq; habes, quod te habere non dubito (ſcio enim quàm accurate ſuperioribus annis Græcos Ariſtotelis commentarios Patauij publice ſis profeſſus) id mihi in præſentia uelis explicare, meq; hac animi cura & perplexitate liberare. Tum ego, Non contemnendam profecto arduæ quæſtionis difficultatem Seuerine mouiſti, quæ cum antiquiores ſemper exercuit Peripateticos, tum uel maxime noſtra ætate eoſdem cōturbat & uexat, neq; ſibi ipſis interdum bene conſtare patitur. neq; hoc immerito (mehercule). Cum enim recto (ut certum eſt) iudicij examine relatiua omnia ſimul eſſe natura affirmauerint, hancq; illorum proprietatem eſſe dixerint, rurſum obiectionibus coacti quibuſdam, & ueluti de recta deturbati ſemita, id ipſum negare coguntur, & hac de re quod miſerandum ſit, anxie laborantes, inter ſeſe cum aperte diſſident, tum ſibi etiam ipſis eorum nonnulli contraria loquuntur, & ſentiunt. Non mirum eſt igitur, ſi te hic (ut modo dixiſti) locus iandiu accipitem animi habuit, quando & per ſe difficilis ſanè eſt, & expoſitorum inter ſe diſſidentes ferè habet

 ſenten

ſententias: cæterum bene (ut arbitror) in præſentia tecum actum eſt, nam cum hac de re mihi ſuperioribus forte diebus cum Iulio Brauo Veronenſi, medico præſtantiſsimo, & philoſopho in primis erudito, Pataují quædam, ut aſſolet, diſputata fuiſſent, isq; ex D. Thomæ ſententia relatiua inæqualiter, & non æqualiter talia diſterminari contenderet, ego uero contrà, omnia ſimul eſſe natura aſſeuerarem, ceu ad honorarios arbitros, ad Græcos ſcilicet Ariſtotelis interpretes communi conſenſu ab utroq; eſt prouocatum: qui ſtatim nullo negocio rem aperuerunt, & inter nos facile compoſuerunt. Quamobrem teneo adhuc illorũ nonnulla, & (quod aiunt) ad manum etiam parata habeo, quæ (ni fallor) huic commodè quæſtioni, & tuæ ſatisfacere poterunt uoluntati. Tum ille, Exiſtimabam profecto, inquit, Leonice, neque animi (ut uidetur) ſanè fallebar, te & locum iſtum iampridem ſignatum habuiſſe, & quid de hac re ueteres dixiſſent, diligenter exquiſiuiſſe: ſcio enim quàm accuratus, huiuſmodi præſertim in rebus, & quàm diligens perſcrutator exiſtas: iccirco id de te quærere conſtitueram, & ad te ire cogitabam: uerum quoniã geminata ſortis meæ felicitate, & huc hodie ueniſti, & ſatis etiam paratus (ut ais) acceſsiſti, omnibus à te contendere precibus non deſiſto, ut compotem me hodie uoti facias, uniuerſamq; hanc difficultatem pro uirili diſtincte & congruenter explicare cõtendas: qua in re (niſi aliter tibi uidetur) tacitum me tibi hodie auditorem præſtabo, neq; ſermonem uſquam interpellabo tuum, niſi forte huiuſmodi inciderit quippiam, quod prætermiſſum, intelligentiæ officere poſſit meæ. Age igitur mi Leonice, & Dei (ut par eſt) inuocato numine, rem iſtam aggredere. Tum ego, Philoſophus, inquam, Ariſtoteles in Categorijs ſuis (ſic enim aureus

reus de decem prædicatis inſcribitur commentariolus) dif ficultatis huius initium ſanè dediſſe, & ijs qui diſtinctionem per æquale & inæquale in relatiuis fecerunt, anſam præbuiſſe, manifeſte cenſetur: ſcribit enim in illis, quòd ea, quæ ad aliud ſunt, ſimul quidē eſſe natura uidentur, quod in pluribus ſanè uerum eſſe apparet: cæterum in aliquibus hoc haudquaquam uerū reperiri. Simul enim, inquit, Duplum eſt & Dimidium: Dominus quinetiam ſimul eſt & Seruus: quæ ſe inuicē perimere etiā uidētur: interēpto enim Dimidio, interimitur & Duplum: & deficiente Domino, deficit & Seruus: eoq́; modo pleriſque in alijs eiuſdem notæ relatiuis manifeſte contingere apparet: uerum in nonnullis hoc, inquit, uerum hauquaquam percipitur eſſe: non enim poſita ſe inuicem ponere aliqua, neq; interempta, ſe interimere uidentur: quod illorum quæ natura ſunt ſimul, peculiare propriumúe eſſe cenſetur. Cuius ſtatim res claras etiam (ut uidetur) afferre tentat oſtenſiones. Scibile enim, inquit, cum ad ſcientiam dicatur, illam proculdubio præcedere, & non ſimul natura eſſe percipitur: ſiquidem res ipſæ proprias de ſe præcurrere ſcientias clare animaduertuntur. Scientia præterea corrupta haudquaquam corrumpi ſcibile perhibetur: cuius rei uel clarum eſſe exemplum quadraturam inquit circuli, quæ ſcibilis quidem eſt, licet à nullo perſpicue ſciatur. Eodem etiam modo de ſenſibili & ſenſitiuo, quæ ſine controuerſia ad ſe inuicem dicuntur, poſſe deprehendi dicit. Deſtructo enim per ſuppoſitionem animantium genere, ſenſitiuum manifeſto deſtruetur omne. à ſenſu nanq; peculiarem ſuæ eſſentiæ characterem accipit animal. Animalibus autem interemptis omnibus, alia deſtrui interemiq́; ſenſilia non eſt neceſſe. Simul igitur natura non ſunt ſenſile & ſenſitiuum.

tiuum. Hæc ille pluribus hac de re eodem ſcribit in loco, quæ nos reſtrictius ſanè in præſentia collegimus, uim ſolummodo illius rationum, non uerba ſingula recenſendo. Ex quibus non obſcure ſanè deprehendi licet, uerborum ſolummodo corticem inſpectantibus, & non recondita illorum ſenſa, ueluti obſtruſam ſub illo medullã, linceis (ut aiunt) oculis introſpicientibus, Ariſtotelẽ planè uelle non omnia æqualiter dici, & eiuſdem naturæ eſſe relatiua. Cæterum antiquiores illi, & uere legitimi philoſophi, illius interpretes, præcipueq́; inter illos magnus Iamblichus, & Porphyrius, necnon horum ueſtigia clare poſtmodum inſequutus Simplicius, uir inter Ariſtotelis expoſitores uel eminentiſsimus, qui ut ætate omnium ferè antiquorum eſt ultimus, ita dignitate, & interpretationis claritate & diligẽtia inter cæteros facile primas ſibi uẽdicat. Omnes, inquam, iſti concorditer affirmant, ueram ſcilicet & exactam relatiuorum eſſe naturam, ſemper æqualiter dici, ſimulq́; ſe inuicem illa & ponere, & interimere. Huiuſmodiq́; indubitatam philoſophi Ariſtotelis aiunt eſſe ſententiam, in ijs uidelicet commentarijs, ubi hac ipſa de re accuratiori diligentiæ opera pertractare aggreſſus eſt. in diuinis nanque primæ philoſophiæ uoluminibus eundem conſtanter aſſeuerare, relatiua ſimul eſſe natura, quia poſita inuicem ſe ponant, & perempta interimant. Nihil enim aliud, inquiũt, indicare uelle illud, ſimul natura omnia eſſe relatiua, niſi quòd ſimul coaleſcunt, & quaſi ſimul ex eodem pullulare & naſci germine uidentur: iſthuc etenim Græcum ſonat & ſignat nomen: ita quòd cauſæ ſibi inuicem ipſa ſunt correlatiua, & ad ſe inuicem coniuncta complicataq́; eſſe planè conſpiciuntur. Quamobrem ad ueram alterius poſitionem, alterum etiam eſſe deprehenditur:

ditur:

litur: & alterutro intercempto, reliquum sine dubio in=
terire animaduertitur: ubi etiam non minus scienter, quàm significanter & clare ij notant uiri, hoc uidelicet, simul esse aliqua (id enim ut possum nunc exprimo, quod illi unico uocabulo συμπαθείαν uocant) duobus intelligi posse modis: Aut quia illorum subsistentia, quam illi ὑπόστασιν appellãt, in eodem incipiat, & desinat temporis spatio. Secundum quod sanè dicimus significatum, lumẽ simul cum solis esse præsentia, quoniã solis posita subsistentia, ipsum ponitur esse luminis: qua etiam remota uel ablata, ipsum remoueri & interire lumen necesse est. Aut quia habitudo quædam inter illa, siue respectus simul esse uidetur, quomodo omnia profecto relatiua simul esse dicuntur. Quod inquiunt simul esse non statim in relatiuorum genere inferre essentiæ æqualem esse subsistentiã. Neq; hoc ab re (mehercule). Pater enim secundum essentiæ subsistentiam suæ, filium præcedere animaduertitur: & mortuo etiam filio, secundum eandem restare percipitur essentiã. Qui tamen secundũ id esse quod à paternitatis (ut ita nunc dicam) respectu accipit, neq; ante ipsum filij esse, neq; post filij non esse remanere planè censetur. Ante genitum nanque filium esse nondum erat, defuncto autẽ illo, destructus est, & omnino interijt ille paternitatis respectus. Et ut id ipsum clarius etiam explicem. Homo quidem & ante, & post filium quispiam & esse, & restare potest, pater autem sine filio remanere non potest. Huiusce autem rei uel manifestißima est ratio, quoniam ea quæ sunt ad aliud omnia, in eo dici uerisimile est simul esse, in quo manifestum & certum habent esse: suum autem proculdubio omnia habent esse in habitudine, siue respectu illo propter quem ad se inuicem dicuntur: per habitudinem igitur illam, siue

respectum simul esse illa clarißimum est. Cæterum cum re-
spectus ille inter duo semper sit, neque aliter reperiri, au-
intelligi poßit: alterutro certe corrupto & deficiente, re-
spectum interimi illum, & deficere necesse est. Duo igitur
illa simul esse dicuntur, quando respectus inter illa integer
& constans remanet, à quo solummodo. ut relatiua sint,
& dicantur ea quæ huiusmodi sunt, manifestißime habere
percipiuntur. Cum igitur (ut uisum est) eo usq; relatio ma
neat, quoadusq; respectus manet ille, eousq; autem respe-
ctus manet, quoadusq; duo saltem restauerint illa in qui-
bus respectus firmari constareq́; potest ille, geometrica (ut
aiunt) rationis neceßitate concluditur: Relatiua omnia ut
huiusmodi existunt, simul natura esse, & posita se inui-
cem ponere, & interempto altero simul etiã alterum in-
terire. Ex quibus corollarij etiam modo audacter potest
inferri, relatiua omnia æqualiter dici, nullamq́; illorũ esse
diuisionem, qui relatiua per æquale & inæquale discermi
nare contenderunt. Cæterum quoniam huic sentẽtiæ Ari-
stotelis refragari uidetur autoritas, easq́; non minus quæ
retro adductæ sunt impugnant rationes, ut omnis non ab
re dubitantium facessat ambiguitas, credulitatisq́; in con-
trariam partem cautus euanescat timor, illos hoc in loco
commonefaciendos sanè censeo, quòd ex superiori scili-
cet ipsius simul esse distinctione, rationes illæ nullo nego-
tio recte dissolui possunt. Quamuis enim ante omnem sci-
entiã res præfuerint scibiles: & destructo animantiũ gene
re, siue per suppositionem, seu aliquãdo per mundi ipsius
conflagrationem (ut Stoicorum quondam natio, nunc ue-
ro Christiani constanter asseuerant) remaneantq́; cœlum
& terræ globus, quæ sensus obiecta esse possunt: tamẽ ne-
que ibi res ipsæ scibiles esse rite dicentur, nulla existente
scientia

ſcientia, neque hic cœlum & terræ, nullo remanente ſenſu, ſenſilia merito exiſtimari poterunt. Relatio enim ſecundum quam talia dicebantur, huiuſmodi reſpectu, habitudine'ue illa interempta, euanuit penitus: interimitur autem (ut diximus) ipſe reſpectus, extremorum alterutro interempto. Res igitur ipſæ non ſimul eſſe cenſentur ſecundum ſuæ ſubſiſtentiã eſſentiæ, quæ tamẽ eædẽ ſub reſpectiuo tali eſſe, et ſimul eſſe, & ſimul nõ eſſe ueriſſime ſanè dicuntur. Quamobrem nõ irrationabiliter etiã dixiſſe uidẽtur illi, qui hanc ad cætera prædicatorũ genera, relatiuorum differentiã aſſignare cõtenderũt, illa ſcilicet peculiari quodã modo ſemper pluraliter proferri. Cum enim reliqua omnia prædicata tam ſingulari quàm plurali referantur uoce (ſubſtantiã nanq; dicimus, & ſubſtantias: & quantũ, & quanta: quale quinetiã, & qualia) ſola relatiua pluraliter tantummodo proferuntur. Dicimus enim ea quæ ſunt ad aliquid, eorum quæ ſunt ad aliquid, in ijs quæ ſunt ad aliquid: quoniam non quemadmodum animal una eſt ſubſtantia, aut album unus eſt color, ita ea quæ ſunt ad aliquid in unico tantum exiſtunt perſtantq́; ſubiecto, ſed duo ad minus eſſe illa neceſſe eſt. Habitudo enim illa inter plura ſeſe offert mediam, quam profecto alterutro ceſſante, interire ſumma eſt neceſſitas. Et ideo ut relatiua ſint, ſimul eſſe oportet illa, inter quæ, ſiue in quibus conſiſtit relatio: ſunt igitur (ut retro dictum eſt) æqualiter, & ſimul natura relatiua omnia, nullaq́; eſt in relatiuorum genere diuerſitatis uera diſtinctio. Cæterum altera etiam ad rationes illas, nec minus ſanè elegans & accommodata reſponſio, ex philoſophi Ariſtotelis uerbis in metaphyſicis commentarijs adduci poteſt, quam quoniam noſtra in curſu eſt oratio, & nihil aliud ſane eſt quod in præſentia

tia potius nobis sit agendũ, haudquaquam silere decernô. Hac enim de re uerba faciẽs ille, Sẽsilia, inquit, et scibilia, & huiusmodi reliqua, quæ dicũtur ad aliud, bifariã intelligi cõsiderari'ue poßũt, actu uidelicet, & potestate. Et sensile quidẽ actu, ad sensitiuũ refertur actu: sensile uero potestate, ad sensitiuũ potestate suam habet relationẽ: cum igitur in superioribus dicebatur ante omnẽ scientiã rem præesse scibilẽ, quoniã illud scibile potẽtiam innuit quandam, ad scientiã potestate existentem referri proculdubio necesse est: simul autẽ profecto sunt & potẽtia scibile, & illius potestate sciẽtia. Similiq; rationis modo post animãtium interitum omniũ, sensile potestate remanet, quia simul etiam est potestate sensitiuum, licet actu nõ sit, quoniam neq; sensile actu esse percipitur. Et hac etiã responsionis uia, illa de circuli quadratura peculiariter dissolui potest ratio: scibile enim quiddam est potestate, non actu circuli quadratura: quamobrem illius etiam simul potestate nõ actu est sciẽtia: quãuis magnus Iamblichus scientiam de circuli quadratura apud Pythagoræos aliquãdo uiguisse cõfirmet, Sextumq; nomine quendam inter Pythagoricos magni nominis uirũ, plures huiusce rei demonstrationes scriptis suis memoriæ prodidisse: Archimedẽ quinetiã Syracusium, & Nicomedẽ præterea, & Apolloniũ insignes Pythagoræos, hac de re diffusißime pertractasse, quadratũq; æquale circulo per duplicẽ motum Cochlisformis ab illis appellatæ lineæ, satis commode fuisse demonstratum. Additq; insuper uir ille, circuli quadraturã si scibilis est, & à nobis penitus ignoretur, nihil prohibere ab alijs eam recte sciri percipi'ue posse: partialiũ quinetiam rerum cognitiones esse peculiares, si non in paruo (ut ait) mundo, id est homine, at in magno certe mũdo, in reliquis

scilicet

cilicet intellectiuis naturis. Ex quibus insigniter (mehercule) patêre potest id, quod à nobis retro etiã ostẽsum est, relatiua uidelicet omnia proculdubio simul esse natura, nullamq́; diuersitatis uarietatem suscipere posse. Philosophi autem Aristotelis in Categorijs autoritas, quæ huiusmodi de relatiuis sententiæ non mediocrem afferre uidetur tumultum, haudquaquam nos, si recte illam pensiculare uoluerimus, satis poterit commouere: ibi enim uir ille, ceu in introductorio nouiciorum libello, hac de re craßiori quodam doctrinæ modo pertractare uidetur, de qua accuratius profecto, et exquisitius in metaphysicis (ut diximus) suis, uerba postmodum facere animaduertitur, ubi simul natura omnia esse relatiua certißimis monstrat rationibus: quæ profecto res ex illius etiã elocutionis modo, in Categorijs inquam, perspicienti satis aperta & clara esse potest: utimur enim à principio statim hoc uerbo, uidetur, quòd nõ certam (ut patet) animi sententiã, sed probabilem quandam ex aliorũ sæpius dictis signare opinionem existimatur. Quo sanè loquendi modo non uitur ubi hac de re postmodum accuratius (ut dixi) certiusq́; pertractare censetur. Nihil est igitur quod illis insigniter moueamur uerbis, cum & ratio (ut uidimus) naturaq́; relatiuorum palàm ijs aduersetur, nosq́; contrarium sibi contingere doceat & idem ipse autor, qui illa in Categorijs (ut diximus) non satis constanter affirmat: in Metaphysicis postmodum suis, quibus in commentarijs uniuersum ingenij sui acumen manifesto expreßisse censetur, aliter loquatur & sentiat. Nam rationes ab illo contra ueram sententiam in Categorijs adductæ satis commode (ut uidistis) à nobis de antiquorum sententia sunt dissolutæ. Omni igitur ambiguitate semota (ut ad summam nostra

concluda

cõcludatur oratio) relatiua ego omnia ſimul natura eſſe & æqualiter dici oportere aſſcueranter iudico & contendo. Hæc ſunt Siuerine, quæ ego pauca de multis hac ſuper re in præſentia tibi dicere habui. Tu qua ingenij es perſpicacia, iſthæc ipſa poſtmodum recto iudicij examine penſiculabis, & ſi uere tibi commodeq́; explicata fuiſſe uidebuntur, Græcis id acceptum referas autoribus: ſi minus, elegantius tu quippiam, & elucubratum magis de noſtris, quod adhuc forſitan me latere poteſt, cum huc rediero, recenſebis. Tum ille, Equidem, inquit, Leonice plus multo quàm ſperabam effeciſti, & licet mihi de te multa eruditaq́; omnia pollicebar, hac tamen in re expectationẽ longè ſuperaſti meam. Tota enim hæc quæſtio in præſentia ita eſt à te pertractata, adeo bene excuſſa, ut meo quidem iudicio, nedum reperiri quippiam, quod magis quadret, ſed nec optari ſanè melius poßit. Veritas enim (ut aiunt) unica eſt, cui recta omnia cõcinunt. Quamobrẽ nihil eſt quod de quopiam quæritando, amplius negotij habeam, quãdo hæc quæ dicta ſunt, & ipſi conſentire rationi, & antiquis placeri philoſophis, ijs præſertim quos recenſuiſti, clarißime oſtenſum eſt. Cæterum quia de circuli quadratura à nonnullis Pythagoreorum pertractatum fuiſſe, et ſcriptis etiã mãdatum, retro dixiſti, libenter abs te ſcire nunc uellem, ſi illorum apud Græcos adhuc extant commentaria, an ut alia pleraq; bona, ſic & iſta longa nobis inuidit dies. Interiere inquam Seuerine, interiere, nõ ſolum iſta, ſed alia etiã multa, quæ ſi haberẽtur hodie, elegãtior (mehercule) & eruditior multo, noſtra iure cenſeretur ætas, quæ & alioqui, ſi qua ſibi ſuperſunt bona, præpoſtero tamen mentis iudicio haudquaquam recte cognoſcere, aut illa admittere uidetur, quando neq; optimarum

narum artiũ studijs amplius, neq; ijs qui ea sectantur & fouent, ullus sanè est honor, sed omnia ponuntur in censu, uniuersa diuitijs parent, ad quas fusis (ut aiunt) habenis, bonis contemptis artibus, uniuersorum in præsentia properãt & affatim anhelãt studia. Hic ille, *Vera, inquit, narras* Leonice, *sed perniciosiorẽ profecto aliam (nisi propitius illam auerterit* Deus) *literarum studijs imminere uideo pestem, à qua non iactura solummodo & calamitas aliqua, sed extremus illorum extimescendus est interitus.* Quid isthuc est inquam quod dicis? Et ille, Non'ne percipis, inquit, quos bellorum tumultus, quantosq́; armorum strepitus, in Christiana nuper republica furens commouit discordia? Qui nisi dei benignitate aliquo sedentur cõponantur'ue modo, non literarum solummodo (quod diximus) sed omnium penitus bonarum artium, & cultioris etiam uitæ formidandus est interitus. An nescis Platonem tuum, ceu ex oraculi uoce dicere, pestilentias & bella, disciplinis quãmaxime aduersari, & officere? Tum ego, Ne desperes, inquam, Seuerine, aut animo cadas: isthæc enim Deus Opt. Max. bonitate sua cito (ut arbitror) uertet in melius, & dominici pastor ille & rector gregis, illius nutu commissas sibi oues haudquaquã deseret, & perire patietur. Quanquam huiusmodi sanè res non temere (ut uulgo stultè creditur) aut infelici quodã casu, hominũ accidere generi existimãdum est, sed certis annorũ curriculis, & temporũ quibusdam periodis, ad illorum etiam utilitatem, salubremq́; animorum medelam contingere, & euenire credũtur. Quomodo isthuc, inquit, Leonice? Hoc inquam modo: sicut enim partiali solitarioq́; animanti leuis plerunq; febricula, & sobrius sæpe tenuis diætæ confert cibus, sanguinisq́; interdum mißio ex redũdanti corporis

periculosoq́; habitu stabilem efficit sanitatẽ: ita uniuersi animantium generi, quæ perniciosißima uulgo existimantur mala, pestilentiæ inquam, & bella, & fames, non modo non incommoda & aduersa, sed salutaria plerunq;, & prospera sunt iudicanda, ab ijs uidelicet, qui non minuta ista & partialia singularium quorundam cernunt euenta, sed qui uniuersam penitus rerum naturam non conniuentibus mentis oculis introspicere, illiusq́; rimari causas rite poßũt. Sed iam (ut audio) Seuerine tintinnabulũ ad uespertinas te uocat horas, quamobrẽ loquẽdi finem (si ita tibi uidetur) hic faciamus. Tum ille, Faciamus, inquit, ut dicis Leonice, sed hac cõditione, ut ad nos te cito reuersurũ pollicearis, & hac de re quæ admirabilis sanè mihi esse uidetur, longiores postmodũ sermones facias. Vt lubet inquam Seuerine, tibi enim & nunc, & semper posthac, nostra quãtulacunq; est præsto erit opera. Iis dictis, surreximus omnes, & ille quidem rectà ad templum ire perrexit: nos uero deambulatũ ad Hippodromi spatia descẽdimus.

BONOMINVS,

SIVE, DE ALICA.



OMINICVS Bonominus Brixianus, qui nuper Taruisij est defunctus, uir fuit (ut nosti) Latymere doctißime cum Græcis & Latinis literis liberaliter eruditus, tum uita & moribus adeo probis & candidis, ut & omnibus ferè alijs, & ijs præcipue, quibus cum consueuerat, gratus & amabilis non immerito semper extiterit. Is cum ab humanioribus aliquando

quando literis ad philosophiæ studia, mox etiam ad medicinæ se cōpendia contulisset, ut sibi suisq; pro uirili emolumento esse posset (urgebant enim illum, ut plerosq; solent, domesticæ angustiæ) qua erat animi libertate & candore, stomachari non desinebat quotidie philosophorum & medicorum non minus nostræ ætatis inscitiam, qui cum materiam quique suam, & subiectas illis disciplinis res, Latinis planè uerbis, & decenti orationis cōtextu, si paululum operæ adhibuissent, luculenter docere & pertractare possent, deprauatæ tamen consuetudinis absorpti æstu, omnia sursum uersus confuso scriptionis stylo, barbarisq; rerum uocabulis fœdarent & peruerterēt. Quāobrem multam ille salutem præceptoribus dicens & libris, à publicisq; abdicatus scholarum gymnasijs, totum se tandem isthæc nauseans antiquis euoluendis autoribus cum Græcis, tum Latinis multa & iugi diligentia & studio tradidit, breuiq; profecit adeo, ut quæ illi immensis uoluminibus librorumq; aceruis posteritati mādauere præcepta, mentis ille thesauro collocata, & tenaciter custodiret omnia, & facile etiam cum libuisset, expromeret: uerum ille (proh dolor) quo maxime tempore & sibi & alijs usui esse potuerat, repentino è luce sublatus, magnum sui desiderium omnibus bonis, nobis uero etiam non mediocrem reliquit dolorem: qui tali orbati amico, haud sanè paruam breuiq; resarciendam iacturam fecisse uidemur. Is igitur dū Patauij superioribus annis studiorū gratia esset, domumq; nostram frequētaret (semper enim aliquid cū de Græcis, tum de Latinis rerū scriptoribus secū afferebat, quo quiuis indagator teneretur excitareturq; animus) forte die quadam ad nos uenit, in qua postmeridianis horis ego & Hieronymus Russus medicus, uir (ut

nosti)

nosti) utriusque linguæ peritus, in inferiori porticu nostra soli sedebamus: sermo autem erat nobis, nescio quomodo ex Plinij secundi excitatus uerbis, de celebratissima apud ueteres Alicæ cõfectura, de qua se multum diuq; dubitasse Rußus dicebat: addebatque insuper illius naturam cõpositionisq; modum, sicut etiam Ptisanæ, à paucis admodũ nostra ætate medicis dignosci, certò se credere. Ingreßus igitur Bonominus, post consueta illa quæ primo dici solent: Nescio, inquit, si sermonibus uestris intempestiuus accedo: uideo enim uos hoc in loco cum solos, tum secreto (ut arbitror) colloquentes: quamobrem paululum, hinc facessam, & in pratulo isto, donec inceptum perficiatis sermonem, solus interim deambulabo. & alioqui percommode mihi illa se rosaria offerre uidentur, quæ me & amœnißima simul umbra, & florum suauitate & gratia iucunde oblectabunt. Tum ego, Non est, inquam, Bonomine hanc ob causam cur hinc abscedere uelis, nihil enim inter nos secreto conferimus: quanquam quid tam arcanum & arduum esse potest, omniq; à nobis silentio supprimendum, quod tibi & fidei tuæ tutò committi non poßit, ijs præsertim initiato sacris, quorum mysteria ego & Rußus in præsentia pertractabamus? Et quid tandem isthuc est? inquit ille, aueo enim audire quæ inuicem conferebatis, quando illa, ut uidetur, ad me etiam pertinere posse confido. Et ego, Attulit, inquã, ex Pliniana lectione Rußus noster non contemnendam sanè de Alica quæstionem, quæ cum notißima prioribus esset seculis, pluribusq; uitæ commodis utilißima, & multis morborum remedijs laudatißima, hac certe ætate cum bonarum artium luctuoso interitu, tum illorum etiam, qui hæc profitentur, ignauia & ruditate, adeo exoleuit & euanuit, ut ne de nomine quidem

...nine quidẽ noscatur. Tum ille, Vera, inquit, narras Leonice, & ego simuli de causa in plerisq; cum primũ arti medicæ appuli, multũ diuq́; nauseans, stomachari iam desij, & ad ipsorum ineptias prorsus occallui. Cæterum haudquaquam desperandum est: nam quod huiusmodi in rebus Medici nequeunt, Grammatici certe possunt, qui ceu derelictum illorum patrimoniũ iure sibi uendicantes, soli nũc Galenos, Paulos, Celsos, Plinios, interpretantur & docẽt. Quare ab illis cum plurium aliorum quæ ignorant Medici, tum Alicæ ipsius uim & confecturam petendam esse existimo. Tum Russus leuiter (ut mihi uisum est) commotus, Quos tu, inquit, grãmaticos nobis inculcas Bonomine, aut quæ isthæc tam arrogans est natio, quæ sine iure manu consertum in alienas possessiones licenter adeo inuolat? cum quibus satis bene (mehercule) & feliciter agi uidebitur, si nuda rerum uocabula, ijs quæ ad se non pertinent rebus dimissis, commode interpretari & explicare possent, & non impudenter (ut faciunt) & ridicule interdum supra crepidam (ut aiunt) iudicare contenderent. quãquam si quid forte huiusmodi aliquando ex ijs nõnulli aggredi audent, ut philosophos medicosq́; decẽter agant, grammaticam illos proculdubio exuere necesse est. Non ut grammaticos igitur de uocabulis, sed ut philosophos & medicos de rebus tum disertantes illos audimus. Verum hos nunc (si placet) bona cum uenia missos faciamus, idq́; potius, quod agere institueramus, te adiutore & socio (si ita uidetur) peragamus. Mihi quidem, inquit Bonominus, & uidetur, & summe placet, quare institutum de Alica sermonẽ prosequere Leonice. Tũ ego, De Alica, inquã, dicebamus Bonomine re cum in medicina ipsa, tum in omni etiã uitæ usu præstãtissima, cuius naturã & uim eo minus

nostri temporis cognoscunt medici, quo de illa ab antiquis diuersimode sanè, & inuolute admodum memoriæ proditum est. Quidam enim ex illis de Alica ueluti de triticei generis grano perscripsere: nonnulli autẽ, illam confectionem siue compositionem esse quandam uoluere. Sed quid ego nunc diuersos de Alica diuersa sensisse commemoro, quando unus & idem autor Plinius secundus hac ipsa de re, tũ ut semine, tum ut cõfectione, diuersis in locis commentariorũ suorum loquatur & sentiat? Libro enim XVIII. capite VII. quod de frugũ uarijs generibus et natura inscribitur, in principio ferè, ubi de satione agit, isthæc ad uerbũ scribit. Aliqui uerna Miliũ, Panicũ, Lentem, Cicer, Alicã appellant. Et rursum circa medium ferè, Tunicæ frumẽto plures, Hordeũ maxime nudũ & Alica, sed præcipue Auena. Quibus in locis de Alica illum, ut de Tritici quodã genere uerba facere, meridiano (ut aiũt) clarius est sole. Eodem autem libro, capite undecimo circa finem, ubi de Alica suo pertractat loco, illius cõfectionis modum pluribus sanè docet uerbis. Et libro uigesimosecũdo, capite uigesimoquinto, ubi de frugum medicinis, Alica, inquit, res Romana est, & nõ pridem excogitata, alioqui non ptisanæ potius laudes scripsissent Græci: nõdum arbitror Põpeij Magni ætate in usu fuisse, et ideo uix quicquam de ea scriptũ ab Asclepiadis schola: & quæ sequũtur. Et rursum paulo infrà, ubi de Ptisana loquitur: Ptisanæ, inquit, quæ ex ordeo fit, laudes uno uolumine condidit Hippocrates, quæ nũc omnes in Alicam transeunt. & quãtum innocẽtior Alica? Ex quibus de Alica illũ ut de farinæ cuiusdã confectione & cõpositura loqui, clarissimo apparet indicio, siquidem cum Ptisana cõparari, & illius æquare laudes uerissime potest Alica. Quamobrẽ mi Bonomine

nomine si aequi esse uolumus, nõ adeo fortasse, ut initio fecimus, nostrates sunt taxãdi medici, si Alicae uim & naturam ignorãt. Res enim ambigua est, & inuoluta, & aliter ab alijs, imò ab eodẽ (ut uidimus) Plinio diuersimode recẽsetur. Tũ Bonominus, Vera, inquit, narras Leonice, et ego aliquãdo Plinium legens, quo certe autore nimium delector, hac de re memini nonnihil dubitasse, uerum alia mihi tũ erant agenda, quae ab huiusmodi me disquisitione sanè reuocarunt. Quamobrem hac ipsa de re (quando nihil aliud agimus) si placet, in praesentia diligẽtius cõsideremus. Et ad me respiciens, Imò uero tu potius, inquit, Leonice, siquid parati habes, nam te habere non dubitamus, largiter deprome, & controuersam hanc rẽ quo maxime potes modo dissolue. Ego enim tacitus te auscultabo: nanq; auditorẽ tantum me hodie, non disceptatorẽ praestare decreui. Et ego, Quid tu inquam Bonomine hoc mihi oneris imponis, & nõ potius Russum, qui et elegãs est medicus, et artem insigniter exercet illam, & isthaec ipsa ad manũ habere debet, id ipsum bono iure expostulas? Ego enim (ut scis) succisiuis (ut aiunt) operis haec studia delibaui potius quàm elucubraui. Tũ Russus, noli, inquit, Leonice inficiari quod tãdiu debes: huiusmodi enim de re à principio sermonẽ ideo moui, ut tuã elicerẽ sentẽtiam. Sed nescio quomodo praeuenit me Bonominus, idq; abs te petijt, quod ego mox enixe etiã cõtẽdere decreuerã. Age igitur perspicue (ut soles) & una utriq; opera facito satis. Tum ego, Ista quidem, inquã, socij manifesta est uis, qui de cõposito huc nõ simul accessistis, ut demũ me id quod uolebatis uestro arbitratu facere cogeretis, caedẽdũ est igitur, quando (ut in Graeco est prouerbio) cõtra duos neq; Hercules. Caeterum memẽtote me ea quae nũc dicam, non mathematica

(quod aiunt) neceßitate comprobaturũ. Neq; enim ea, de qua agendum eſt materia taliũ capax eſt oſtenſionum: & alioqui propter uocabulorum tum inuerſionem, tum etiã confuſionem magna profecto in eiuſmodi re ſubeſt obſcuritas, ut luculenter etiã in ſuo de alimentis cõmentario Galenus atteſtatur: magnam aſſerens in triticeo genere apud ueteres medicos uerſari difficultatem propter nominũ cõfuſionem, cum plerunque à ſcriptoribus ex illorum numero nonnulla prætermittantur: aliàs autem uni generi duo applicentur uocabula: ceu, inquit, idẽ eſſe Tiphen et Olyram nonnulli uoluere. Exactas igitur huiuſce rei demonſtrationum certitudines in præſentia ne requiratis, & ſatis contenti ſitis, ſi quæcunque uobis adduxero, cũ fide dignorum teſtimonijs, tum probabili etiam coniectura concludam. Vt lubet, inquit Bonominus, & ut apte poteris: nõ enim latet nos, quàm in ijs rebus, quæ opinionibus cõſtant, & diuerſa ſint hominũ iudicia, & ancipites undequaque uerſentur anguſtiæ: tu modo rẽ aggredere, nãq; omnia (ut confidimus) tibi recte feliciterq; ſuccedẽt. Tum ego, Alicæ inquam nomen (ſi bene quæ retro Plinij uerbis ſunt adducta animaduertiſtis) anceps & ambiguũ nõ immerito eſſe uidetur. Et tum Triticei cuiuſpiam generis granum apud ueteres ſignare autores, tum confectionem quandam à Plinio, & à pleriſque antiquorum enarratam decernere animaduertitur. Cæterum id genus Tritici quod Alica, cum pro ſimplici & uniuſmodi accipitur grano, deſignare uidetur, id eſſe iure contenderim, quod Græci Zeam appellãt, ſiue alterã illius ſpeciem. Cũ enim ipſius (ut apud Dioſcoridem legimus) duæ ſint ſpecies, & una quidem ſimplex, altera uero quæ ob plures circumiectas tunicas appellatur Dicoccus, generis quidẽ Latinum

aßignat

aßignat Plinius nomẽ: ait enim ſemẽ illud duntaxat uocitari: ſpecierum autẽ, ſimplicis quidem illius uocabulũ eſſe Alicam, apud illum ſanè affirmauerim. Alterius uero, nullum (quod ſciã) neq; apud Græcos, neq; apud noſtros propriũ reperitur nomen. Nã Dicocus penes Dioſcoridẽ cũ cõtra ſimplicẽ ponatur Zeã, & ex altera illi parte reſpondeat, nõ nomẽ eſſe, ſed ſpeciei illius differentia, & ceu cognomẽ non immerito uideri poteſt. Cũ ex Zeis aliæ quidẽ unico ueſtiãtur inuolucro, quæ ſimplices à Dioſcoride uocãtur: Aliæ uero pluribus ſepiãtur tuniculis, quas Dicoccos idẽ appellat autor. Quã tamẽ Zeæ ſpeciẽ à Dioſcoride Dicoccõ appellatã, ſi quisquã in huiuſmodi re probabili eſt locus cõiecturæ, eã eſſe crediderim, quã in Africa degenerare ſcribit Plinius, cuius latiores & nigriores ſunt ſpicæ, & breuis ſtipula: & ex qua adulterinam factitari ſolitam fuiſſe Alicam idem recenſet autor. Nihil prohibet igitur (ut diximus) illi ſimplici Zeæ ſpeciei Alicæ inditum fuiſſe nomen, quæ inter uerna à Plinio cõmemoratur grana, & maxime nuda (ut retro uidimus) eſſe perhibetur. Et hanc Zeæ ſpeciem (ſi coniectura uti licet) id eſſe non abnuerim quod nunc Speltam uocãt. Et hoc etiã modo Theodorus Gaza uir utriuſq; linguæ exactißimus, in Theophraſti de ſtirpibus interpretatione, Zeam conuertit. Et Simon Ianuenſis, uir in medicinæ arte & eruditus & diligens, Græceq; non imperitus, & in uerborum maxime ſignificatis, ſiquis alius, induſtrius, Alicam frumenti genus ſcribit eſſe, quã quidã, inquit, ſpeltã dixere. Eſt prætereà oppidũ in Italiæ confinibus iuxta Alpes quà in Germaniam itur, quod Feltrium uocant. Huius tractus accolæ quod nos uulgo ſpeltam, paßim pro Alica immutatis literis Algam appellant. Cui etiã nonnihil ſuffragari uidetur

ſententiæ, ea quæ de Zea, ab autoribus memoriæ ſunt prodita. Scribit enim in ſuis de Alimētis commentarijs Galenus, quòd duo ex Triticeis ſeminibus frumento eximie uidentur eſſe ſimilia, Tiphe ſcilicet & Zea, & quòd frigidis præcipue gaudet locis Zea, quoniam inter alia frigoribus reſiſtit maxime. Theophraſtus quinetiam libro de ſtirpibus VII. de Tritici ſcribēs generibus iſthæc ad literam ſubdit: Ex illorum numero quæ in frumenti ordeiq; ſunt interſtitio, & utriſq; ſunt ſimilia, Zea ſcilicet & Tiphe, Olyra & Bromo, ualentior & fruticoſior eſt ipſa Zea. Multiradix enim eſt, & multicalama: illius autem granum cum uilißimum eſt, tum omnibus ferè gratum animalibus. Et paulo poſt: Tiphe omnium eſt leuißima & unicalama. Quamobrem terram amat tenuem, & nō pinguem ſicut Zea & fertilem. Ex quibus ſi ullus (ut dixi) apte coniectantibus eſt locus, Zeam eſſe illam, quam uulgo ſpeltam uocamus, omni prorſus aſſeueratione cōtenderim. Cæterum iſthæc in præſentia ita conſtituātur & iaceant, & ſic à nobis (niſi aliter uobis uidetur) eſſe cenſeantur: ſiquis autem poſthac melius, uincat ueritas, & inuentori gratiæ erunt agendæ. Et de Zea quidem & Alica cum Triticeum deſignant granum, hactenus ſit à nobis pertractatum. De factitia uero Alica, & de eo quod chōdron Græci uocant, rem Alicæ & natura & uiribus per quàm ſimilem, imo Alicæ genus alterū deinceps, ſi placet, perſcrutemur. Chondrum, ſiue Chondrus (nam utroq; apud ueteres legitur modo) inter Triticea eſſe genera clarius eſt, quàm ut longiori oſtenſionis nunc indigeat ambitu. Galenus enim (nam ſæpe mihi præclarißimus autor eſt citandus) in ſuis de alimentis commentarijs, ſolitarium de chondro facit caput, cumq; inter Triticeas connumerat

ſpecies

species, additq; insuper illum & commode corpus alere, tenacisq; & glutinosi esse succi. Paulus quinetiam Aegineta, secundum Galenum medicorum facile princeps, in primo uiatici sui commentario, Inter Triticea, inquit, appellata semina chondrus & nutrit probe, & tenacem efficit succum, qui si diluatur, malus certe redditur, cum celeriter crassescat. Melior autem illius est succus cum Ptisanæ in modum bene decoquitur. Dioscorides præterea non absimilem Tiphæ illum esse dixit. Et ad summam in Triticeo connumerat genere: quem non ab re id esse crediderim, quod nostri Far appellant, cum ex illius similitudine formæ ductus, tum ex remedijs etiã quæ Farri probe quadrare animaduertuntur. Cæterum quoniam hoc quispiam in loco haud oscitans rerum existimator nõ immerito ambigere posset, de factitio chondro, quem nonnulli Alicam esse uoluerunt, cum id Triticei esse generis apud Galenũ (ut uidimus) iam sit constitutum, diligenter animaduertendum esse censeo, quemadmodum retro diximus, Alicæ nomen & simplex designare granum, & confectionem insuper illam à Dioscoride insigniter enarratam, quã nonnulli apud nostros uocauere Alicam. Non est igitur quod moueamini, & ambigui animi sitis, si pro Tritico aliquando chondrus, aliquando pro confectione illa apud ueteres rerũ scriptores legitur. Plures enim sunt res, quam rerum uocabula, ad quas illis uel relictis, uel omnino neglectis mentem adhibere Physici sanè debent. His etiã nõ inutiliter adijciendum esse iudico, aliquãdo ex Zea factitatã fuisse Alicã, ut Plinius & Dioscorides clare attestantur: nonnunquam ex frumento, ut idem recenset Plinius, quod interpretãtes nõnulli haud perperã (ut arbitror) ex frumenti, inquiunt, genere fieri solitam, quod posteriores Chondrus.

chondrum denominauere: nam hoc uocabulum neq; apud Theophrastum (quod sciam) neq; apud quempiam ueterum autorum uspiam legitur, sed far, & alia similia triti

Triticum. ceo ponebantur in genere: latum enim apud illos Tritici erat uocabulum, & non solum frumentũ, sed Zea etiã, & Olyra, & Tiphe, & Bromus illo paßim appellabantur nomine.

Tiphe. Est autem Tiphe (ut hoc etiam obiter dicatur) describente Galeno, corporis colore, & spißitudine caliditateq́; frumento haudquaquam absimilis, nisi quòd breuior est & exilior, ut paruum uideri poßit frumentum. Leuior autem & facilior, & ideo innocue illa equos uesci, qui alioqui à fruměti ui comesti manifesto lædi percipiuntur.

Bromus. Bromum autem Auenam esse apud Dioscoridẽ in adiũctis uetustis legi: sunt qui id esse Tritici affirment genus, quod scandellam uulgo appellant, cuius omnis Germaniæ, Galliarumq́; etiam tractus feraces nimium esse dicuntur: ueterinorum autem illum esse tantummodo cibum Galenus memoriæ prodidit, & ad nullum prorsus hominum facere usum, nisi si quãdo ualida illos urserit fames, cùm alijs suprà enarratis naturaliter & innocue uescantur homines. Ad summam igitur (ut breuiter ea quæ dicta sunt colligam, omniaq́; sub uno contuitu pro uirili nunc reponã) duplicem Alicæ naturã, factitiæ scilicet & natu

Alica. Chondrus. ralis existimo: similiq́; modo chondrũ & natura sui constare, & hominũ composituræ ascribi debere iudico, Alicamq́; Zeæ simplicis speciem quam speltam uocãt: Chondrũ autẽ esse far: ita quod ex farre & ex spelta, id est Zea, itidem laudatißima illa apud ueteres fiebat Alica. Quãobrẽ Plinius (ut opinor) libro XVIII. cap. VII. cũ scribit, Qui Zea utũtur, nõ habẽt far, ambo hæc triticea semina, cognationẽ ad se inuicẽ habere quãdã et similitudinẽ, innuere

innuere potius quàm exprimere uidetur: cum tamen alterũ
ab altero (ut plerunq; accidit) bonitate aliqua & peculia
ri quadam naturæ proprietate uincatur. Neq; hoc in loco
id me ualde mouet, quod Paulus Aegineta uiatici sui lib.
primo, capite (si recte memini) LXXVIII. scriptum reli=
quit, ubi Alicam à Chondro manifeste disterminare uide=
tur: quẽ tu locũ Hieronyme nudiusquartus, dum hac de re
fortè inter nos esset sermo, scite mehercule, & memoriter
recẽsuisti. Nõ erit autẽ fortasse malũ (ut arbitror) Bono=
mini nostri causa uerba illius, ut iacent, recensere, & La=
tina etiã facere, ut ex illis rectè interpretatis omnis post=
modum hac super re facessat controuersia. Hæc autem ad
literam scribit ille: Ex frumentaceo genere chondrus qui=
dem eximie corpus alit, & glutinosum generat succum.
Verum dilutus efficitur malus, quoniam cum crassescat,
facilè perseuerat incoctus. Melior autem illius est succus
cum totus rectè decoquitur, quẽadmodum ptisana. Alica
autem in alijs quidem, chondro est perquàm similis, nisi
quòd illo uentrem magis astringit. Rursumq; libro III.
capite LXII. Pro cibo, inquit, dãdus est chondrus ex o=
xycrato dilutus, seu oriza, siue Alica, à uino autem illum
penitus prohibẽtes. Aquã ex austeris malis, aut omphaco
mel, siue huiusmodi quippiã illi propinabimus. Ex quibus
de Pauli apparet sententia, aliud esse Chondrũ ab Alica,
quod profecto non inficias eo, si rationem, quam sequitur
ille, admittere & probe tenere uolucrimus. Paulus enim
ceu ueterũ postremus medicorũ, exactiori uocabula exa=
minans cura, & ætatis suæ usitatũ forsitan loquẽdi seruãs
modũ, confectionẽ quidẽ illam, quæ ex Zea fiebat, Alicã
maluit appellare: nam Zeæ speciẽ quandã à Latinis Alicã
nouerat uocitatam: cõpositionẽ autẽ eam, quæ ex farre cõ

 stabat

ſtabat, quod (ut diximus) chondrum posteriores uocauere Græci, grano ſuo cognominē chondrũ appellare maluit: nihil tamen obſtat (ut opinor) apud autores utraſq; confe ctiones illas, quæ tum ex farre, tum ex Zea ipſa factitari ſunt ſolitæ, à Latinis quidē Alicam, à Græcis uerò Chon drum promiſcuo appellata fuiſſe uocabulo: & ideo ſicut Alicæ nomē apud antiquiores non reperitur Græcos: ita Chondri uocabulo Latini nõ ſunt uſi autores, cum tamen utriq; tam ex Zea, quàm ex farre cõfectiones illas factita= re ſint ſoliti. Posteriores autē medici, de quorũ numero cē ſetur Paulus, exactiori quaſcunq; res diligētia perpēden tes, ex Zea & farre cũ natura, tum uiribus perquàm ſimi les cõfecturas, aliqua tamē peculiari proprietate præditas, uocabulis etiã diſterminare cupiētes, illam quidē Alicam, hanc uerò Chondrũ appellare uoluerũt. Nihil igitur pro hibet (ut arbitror) Alicam & Chondrum idem apud uete res rerũ ſcriptores deſignare, cũ tam Alica quàm Chon= drus ex farre fierent & zea: & peculiari tamen quadam differentiæ nota Alicam à Chondro diſtare, ea qua poste= riores medici nominum rerumq; uſi ſunt ratione. Cæterũ in hac etiã ſermonis noſtri ad calcē feſtinãtis peroratio= ne, iſthuc obiter nõ tacuerim, haud rectè illos meo iudicio facere, qui Alicæ nomē aſpirandum eſſe cēſent: ſiue enim uſum ipſum, et antiqua ſcriptionis indicia ſequimur, ſine aſpiratione apud omnes ferè autores, omnibus in locis iſthæc reperitur dictio: ſeu rectè malumus obſequi ratio= ni, cũ ab alendo (ut uoluere grãmatici) denominetur Ali= ca, neq; ſic aſpirationis admittere debet notam. Ad hæc ne cũ Græco coincidat nomine, Halica, quod in plurali caſu ſale maceratas ſignificat res, ab aſpiratione illius nominis prorſus abſtinendum eſſe cenſuerim. Et hæc de Alica &

Chondro, quæ mihi in præsentia ad manum uenerunt, ut breuius fieri potuit, uobis sunt à me nunc explicata, nõ ut meam sanè ijs de rebus sententiam indubitatam, certamq; esse contenderem (non enim adeo mihi ipse placeo) sed ut uobis potius paratam sedulæ disquisitionis ansam præberem: scio enim quo ingenio, & qua eruditione uterq; sit uestrum, & quantum etiam coniunctis studijs huiusmodi efficere ualeãt ingenia. Quare agite socij, & nostræ ætatis cum medicis, tum philosophis, uestris studijs pro uirili cõsulite et fauete. Et Bonominus, Faciemus, inquit, ut suades Leonice, ut pro Russo etiam tibi respondeam, modo facultas nobis detur & otiũ: & tales simus, quales tu nos esse existimas. Cæterum quæ abs te nunc de Alica dicta sunt & Chondro, mihi profecto ita quadrare uidentur, ut meliora à nobis præsertim reperiri posse sanè diffidam, nisi aliter Russo uidetur. Mihi quidem, inquit ille, quæ dicta fuere ualde placent, sed posthac etiam uidebimus. Sub ijs dictis assurreximus omnes, & Russus quidẽ ad ægrotos suos uisendos ire perrexit: ego autem & Bonominus in bibliothecculam nostram ingreßi sumus.

SANNVTVS,

SIVE, DE LVDO TALARIO.



VM apud Marcum Sannutum Capella, uirum (ut nosti) senatorij ordinis facilè primarium, et cum ingenio excusso, tum uaria etiam eruditione singularẽ, aliquando Venetijs cœnaremus ego & Fuscus frater, nonnulliq; præterea illius domestici amici, quibus

cum

cum ille, si quando à maioribus reipub. negotijs uacabat, libenter otiari & conuiuere solebat, inter quos Franciscus Priolus, & Benedictus Longus, & Antonius Canalis erant. Post apparatißimas epulas, & splendidißimum omnium obsoniorum genere conuiuium, quo omnes opipere & liberaliter fueramus accepti (anniuersaria enim natalitia sua fortè celebrabat) appositis iam secũdis mensis, circiter accensis luminibus, Alexãder Leopardus, uir mechanicæ omnis peritißimus, & Sannuto inter paucos charus, ad nos ingressus est. Quem cum omnes non immerito taxarent, & carperent, turpemq́; officij desertorem insimularent, Sannutusq́; etiam illum durius appellauisset, Quid tu, inquit ille, Marce, uosq́; cæteri omnes indicta (ut aiunt) causa in præsentia me tam propensis animis, & tam facilè condemnatis, & non perquiritis potius, cur ego, qui alijs semper in rebus præsto uobis & impiger esse soleo, in hac una, & omnium simul uestrum, & mei penè ipsius oblitus fuisse uideor, qui & tali defui officio, & tam bonã insuper perdidi cœnã? Hic cum rectè dicere uideretur, et omnes eũ pariter hortaremur, ut moræ illius causam in medium afferret: nõ enim uile quiddam uidebatur, & contemnendũ fuisse, quod ille huic officio præuertendum putasset, & Priolus etiã ut hoc faceret illum sanè impensius rogaret: Quid uos, inquit Fuscus, intempestiue adeo Leopardo molesti estis meo, qui sero huc et incœnatus ueniens comesse (ut arbitror) magis quàm disertare nunc cupit. Permittite igitur, si placet, ut fame prius procul expulsa, ea postmodũ satur dicat, & ordine referat, quæ alioqui famescens nõ ab re confundere & inculcare cõtenderet. Ita profectò, inquit Marcus, & simul astantibus iußit pueris ut esculentorum fercula quædam, quæ adhuc

adhuc in repositorio aderant, Leopardo afferrent, illiq; sedulo ministrarēt. Interea loci cœnāte illo, secundis etiā remotis iam mēsis, dum Sannutus & Longus nescio quid serio (ut ex uultu coniectari licebat) inter se colloqueren tur, cōuersus ad Canalem Priolus, Quid cessamus, inquit, mi Canalis, aut quid potius in præsentia nobis est agendū (nisi fortè bene cœnati stertere hic malumus) quàm ut hoc tēporis spatium donec cubitū imus, aliqua lusus iucundi= tate hilariter transmittēdum curemus? Hic enim, ad me re= spiciens, lectione aliqua oblectare se cogitat, fortè nanq; libellum quendam in triclinij angulo iacentem sumpsisse me et reserasse cōspexerat. Et Canalis, Vt libet, inquit, mi Priole, quādo aliud nihil in præsentia agimus. Verū quod potißimū ludicri genus exordiri nunc uolumus? Hic San= nutus, qui sermonem (ut arbitror) cum Longo inceptum, ne cōuictus hilaritate officeret, obmiserat, & in aliud di= stulerat tempus, Cui potius, inquit, quàm consueto nobis lusui operam dabitis, qui ut ingenij plurimum, ita minimū fortunæ non immerito in se habere percipitur: & in quo uterq; uestrum primas sibi uēdicare anxie semper studet? Et cum dicto astanti innuit puero, qui illorum non igna= rus consuetudinis, ocyus accurrens alueolum cum latrun= culis attulit, & in mensæ reposuit medio. Hic dum illi se lusui parant, ad Fuscum respiciens Sannutus, Quanta, in= quit, mi Fusce cum ludorum omnium, tum huiusce præci= puè adest amœnitas & gratia, quæ non solum inuitare suauiter, sed ualidè etiam & diutius continere animorum studia potest. Quosdam etenim noui, & si uellem, nomi= nare etiam nunc possem, nullam aliam ob rem, nisi ut lu= derēt, cibi somniq; oblitos (ut cætera obmittam alia) dies cum noctibus sæpe ludendo continuasse, ut non alia (ut

arbitror

arbitror) de causa isthæc ipsa res, nisi ob temporis iactu=ram, quam uel maximam aleatores faciunt, male audire, & ad infamiam uenisse uideatur. Nec immerito mehercu=le, inquit Fuscus, quando inter res maxime hominum ge=neri expetendas preciosissimum sanè à dijs immortalibus concessum sit tempus, cuius uel minima etiam iactura re=cte perpendenti omnia, magni semper est existimanda. Non ab re igitur si quis istiusmodi rem dialecticorũ mo=re definire uellet, & temporis inanem quandam tradu=ctionem ludum esse diceret, eleganter profecto & accom modate illius uim naturamq́; describeret, necnon illius etiam originem, primaq́; recte comminisceretur exordia. Et quænam fuere illa, inquit Sannutus? Audire enim abs te cupio mi Fusce, si quid forte reconditi hac super re te=nes: nam Grammaticorum pleriq; quos uiderim cum alia nonnulla, tum isthuc latrunculorũ ludicrum ad Palame=dem Nauplij referunt, qui id in diutina Ilij obsidione & inuenerit primus, & Græcorum etiam duces otio marce=scentes hoc solatij genere nõ inutiliter oblectauerit. Tum Fuscus, Scribuntur ista, inquit, ut memorasti Sannute: Cæ terum de illorum inuentione antiquior etiam Troianis temporibus extat fama, ut apud Herodotũ & Pausaniam probatissimos sanè autores memoriæ proditum est. Leoni cus quinctiam frater in suis de uaria historia cõmentarijs, qui adhuc in uulgus nõ prodiere, huiusmodi meminit rei, à quo (ut arbitror) opere, si quando in lucem uenerit, nisi me fraternus fallit amor, omnes qui humanioribus uacant studijs iuuabuntur sanè, & non mediocria reportabunt commoda. Est enim, ut inscribitur, planè uarium, & cum reconditis, tum ab omni antiquitate conquisitis refertum historijs, ex Græcorum nostratiumq́; autorum penetra=

libus

libus erutis. Hic Sannutus ad me conuersus, & leniter (ut solebat) renidens, En ea, inquit, fides Leonice, is amor, ut hac de re, qua in primis me delectari certißime nouisti, me celatum tam diu uolueris, & nisi nunc aliud agens Fuscus illius in transcursu meminisset, hoc me diutius etiam latuisset. Verum haud impune feres, nam te aliquando, Fusco etiam teste, iniuriarum expostulabo. Cæterum inchoatum persequere sermonem, mi Fusce, & ludorum originem primam, ut occepisti, commemora. Tum Fuscus, Ludorum, inquit, complurium inuentionem, Lydorum populis non immerito diligens adscripsit antiquitas. Cum enim eo terrarum in tractu Tyrsenus aliquãdo, & Lydus Atyos (ut ferunt) filij regnarent, ualidaq́; fames cũ cœli intemperie, tum terrarũ etiã iniuria, uniuersam inuasisset Lydiam, ut præsenti calamitati quo maxime possent modo aliqua illi quærerent remedia, tẽporisq́; moras inanibus frustrarentur ludibrijs, atq; hoc sese fallerent modo. Pilæ lusum & Talorum insuper, & Tesseræ, aliaq́; pleraq; id genus animorũ oblectamẽta excogitasse feruntur. Qua etiã tempestate, inualescente in dies fame, Tyrsenum ferunt cum popularium parte quadam naues ingressum, sedes patrias reliquisse, prosperáque usum nauigatione in Italiam peruenisse, & eam occupasse regionem, quam postea de suo nomine Tyrseniam appellauit. Quamobrem nõ inficias etiam ierim, ludos, quasi lydos à primo inuentionis exordio, elementi consueta permutatione ab antiquis Italiæ populis fuisse denominatos. Delectatus sum admodum (mehercule) inquit Marcus, hac tua breui mi Fusce & nitida historiuncula. Cæterum ut alia ex alijs plerunq; prouenire & procedere solent, nostra isthæc disceptatio non mediocrem sanè studio

Lydi complurium ludorum inuentores.

dio ansam dedit meo, ut de te, uel de fratre tuo, meo iure nunc quærã id quod iam diu scire cõcupiui, quodq; à nullis unquã grãmaticis plene perdiscere potui. Quid tandẽ isthuc est? inquit Fuscus. Et Marcus, De Talorũ, inquit, ludo Fusce, paulò antè mentionẽ fecisti, de quo et semper aliàs dubius animi fui, quis nam is esset, quóue luderetur modo, & superioribus etiã annis de Georgio Merula studiose perquisiui, qui (ut probe nosti) inter paucos eruditus, & multæ lectionis uir ætate nostra nõ ab re habitus fuerat. Is hac super re mihi nõnulla ex Eustathio, pleraq; etiam ex Iulio Polluce semper adducere solebat, quæ ex illius sanè commentarijs cognoscere licet. Ex quibus ut quædam isthuc spectantia cognoscere me profiteor (uera enim ut arbitror sunt fatenda) ita quæ ad exactam illius notitiam pertinent, ignorare me nõ eo inficias. Qui enim talus à tessera distat, ut id quod Græci cubum uocant, ab astragalo, quamuis recentiorum nonnulli grammaticorũ apud nos ista confundant: & quòd tessera quidẽ sena habet latera, talus uerò quaterna, probe me tenere nunc arbitror. De Senione quinetiam in tesseris & Cane, siue ut nonnulli, Asino, dicere aliquid possum: uerum de ijs ipsis in talorum alea, deq; ipsa Venere, quem felicissimum antiqui iactum esse uoluerunt, neque quid dicam sanè, neque quid intelligam me habere, præ me fero. Tum Fuscus ad me cõuersus, Hæc sunt, inquit, frater, quæ superiori anno dum Aristotelem Patauij publice profitereris, quia alia tunc erant agenda, signasti potius quàm explicasti, quæ (mehercule) de te aliquoties quærere uolui. Sed multa (ut scis) intercesserunt, quæ me distraherẽt, & ab istiusmodi auerterent studijs. Quamobrem posteaquam is incidit sermo, tuũ erit quid hac de re sentis aut explorati habes

disser



ſſere: de me enim in præſentia taceo, ſed Marco noſtro (ut uides) non dubito te rem inter paucas gratiſsimam eſſe facturum. Tum ego, Multa ſunt, inquam, Fuſce frater quæ me hoc facere adhortantur. Sed in primis Sannuti noſtri hac de re tam uehemens ſanè ſtudiũ. Cæterum quoniam is paulo antè iniuriarum mecum agere comminatus eſt, non prius certe incipiam, quàm ab eo fidem accepero ſe poſthac præmeditatam in me accuſationem illam penitus aboliturum. Hic cum ſubriſiſſet ille, meq; ut bono animo eſſem, & accurate id facerem inſuper rogaſſet, ita ſum exorſus. De re Sannute & Fuſce etſi non magna, ſatis tamen ambigua & ſubobſcura nunc dicere me uultis, de qua ut pleriq; nõnulla, ita nullus (quod ſciam) complexus eſt omnia. Parebo libens, & quæ uaria lectione, ſeduláq; animaduerſione comprehendere potui, uobis pro uirili breuiter exponam. Sermonis autem noſtri exordium à philoſopho capiam Ariſtotele, qui talorum naturam & ſitum, partiumq; inſuper uocabula in ſuis de animalium hiſtoria commentarijs, hoc maxime deſcribit modo: Omnia quibus datus eſt talus, cruribus eum poſterioribus continent, ita ut erectus in ſuffragine parte ſui prona foris, ſupina introrſum ſpectet: & quæ cola uocant, intus aduerſa ſibi poſita ſint: quæ iſchia, foris: quæ antennæ, ſupra habeantur. Situs talorũ omniũ talis eſt. Quo in loco Theodorus Gaza uir noſtra memoria utriuſq; linguæ cum eruditiſsimus, tum etiam obſeruantiſsimus, ubi Ariſtoteles cola ſcribit, ille Venerem, ubi iſchia, ille canem inuertit: quod inſequuti poſteriores grammatici, & cõſtanter approbarunt omnes & ſedulò etiam eorum nonnulli pro parte illi ſuffragari conati ſunt: nam dictionẽ iſchia ſilẽtio prætereuntes, neſcio quid de Veneris Coliadis apud Atheniẽſes

cognomine, frigidè (mehercule) ne dicam insulsè script suis memoriæ tradiderunt. Cæterum utrum'ne recte sic, an perperam dicatur, paulopost uidebimus: nunc uero ex Aristotelis uerbis talos omnes, quos astragalos Græci uocant, quatuor habere latera siue facies, seu uultus appellare malumus (ijs etenim omnibus eadē in re autores utuntur uocabulis) manifestißime deprehendere licet. Iactus enim talus, aut in pronam sui partem cadit, aut in supinā, uel in illas quæ cola & ischia dicuntur. Supersunt ex partium numero antennæ illæ geminæ, quæ ideo in talorum non connumerantur iactu, nec partes dicuntur, quia nusquam super illas iactatus stare potest talus. Ex quibus (ut arbitror) grammaticorum quorundam manifestißimum deprehenditur erratum, qui talum quidem sex habere latera, Tesseram uero quatuor scriptis suis posteritati mandauere: quos miror, si modo Pollucem inspexerunt (ut planè uideri uolunt) in tam manifestū concidisse errorē, cum ille
Cubus. cubum, qui in cōfeßis est tessera, sex habere dicat facies, to
Talus. tidem punctis, siue lineis insignitas. Talum autē quatuor, utpote à quo binarius, & quinarius absint, qui reperiuntur in cubis. Verum isthæc obiter sint dicta, quamobrē unde digreßi fuimus (si placet) redeamus. Adduximus (ut uidistis) ex Aristotele talorum facies quatuor, & illarum etiā
Cola. Ischia. uocabula recensuimus. Cæterum ex ijs duo illa cola & ischia, meo quidem iudicio, paucularum adiectione literarum in omnibus quos uiderim exemplaribus mendose sa-
Coa. Chia. nè scribuntur & leguntur. Coa enim & Chia, hinc duobus, inde unico detracto elemēto, uera (ut arbitror) et incorrupta habere debet lectio. Quod ut constanter asseuerem usurpatū primo illud apud Græcos in Talario ludo prouerbium sanè facit: Nō Chius, sed Cous. Cuius cum in

Batrachis suis comicus meminisset Aristophanes de Theramene scribēs, qui ob ingenij uersutiā & agilitatē, cothurnus ab Atheniēsibus est cognominatus: locū illum explicantes Aristarchus & Didymus, inter antiquos Grāmaticæ professores sine cōtrouersia primi, coū in talis contrarium esse chio autumāt, & coum semper lucrum facere, chium autem iacturam afferre dicunt. In Theramenem autem ideo à poëta adductum fuisse prouerbium de talorum iactu, translatione mutuata, quoniam is ingenij dexteritate & morum uersutia, quodcūque cupiebat & sequebatur, feliciter semper aßequebatur, & incommoda plerunque mentis agilitate corrigebat, & tanquam commoda proferebat: ut Coa igitur & Chia, pro colis & ischijs apud philosophum legantur Aristotelem, isthæc (ut dixi) in primis me admonuit ratio. Deinde ipsemet etiam, ut hoc modo corrigenda sit litera, alio sanè in loco nos docuit Aristoteles. In ijs enim quos de cœlo inscripsit libris, secundo (ut arbitror) commentario, ostēdens superiora corpora paucioribus id facere motionibus, quod uix pluribus inferiora ualent efficere corpora, isthæc quæ ego de illo ad literam nunc exprimam, subijcit uerba: Est autem recte agere difficile, uel multa, uel multoties, ueluti decem milia talos coos iacere difficile, unum uero, aut duos facile. Hæc ille, ex quibus coum in talis faciem esse quandam, & eandem felicem & fortunatam meridiano (ut aiunt) sole clarius esse potest. Quem locum (ut obiter etiam hoc tangatur) exponens Simplicius inter ueteres Aristotelis interpretes uel accuratißimus, adeo friget, & ita comminisci uidetur, ut reuerentia uiri commotus ego, nusquam aliàs in Aristotele oscitantis aut cōniuētis, tacere potius, quàm eius hoc in loco ex-

positionẽ afferre præelegerim. Cæterũ ut Latina etiã cum Græcis nõ inutiliter cõiugamus, quo'ue illa modo inter se quadrẽt uocabula scire poßimus, aduertendũ, Coum in talis latus senionẽ à Latinis uocitari, & quod Græci chium uocabant, nostri canem appellauere: quod ad numeros etiam translatum canem quidem unitatem, oppositum autem illius hexiten, id est senarium, uel senionem denominatos fuisse Pollux in onomasticis suis refert. Canẽ quinetiã iacturam semper, Senionem uero uictoriã sæpius & lucrũ apportasse apud ueteres legimus. Inde apud Persium est uidere, Quid dexter senio ferret Scire erat in uoto, damnosa canicula quantum Raderet. & Martialis: Senio nec nostrũ cum cane quassat ebur. Quo in loco Sãnute silẽtio prætereundum non censeo, pueris nobis (nam adhuc talis ludebatur, quos parellas uocabant, ferè enim abhinc quadraginta sunt anni quòd is inoleuit lusus) faciẽ in talo quæ uictoriam dabat quam coum & senionem appellari diximus, ancinum uocitatum fuisse: oppositam uero & peiorem quam sequebatur iactura, taonẽ dictam, cuius uel unicæ interuentu (nam quatuor & ipsi ludebant talis) inefficax ancinorum reliquorum erat iactus: & illa nußione is qui iecerat neq; lucrum, neq; damnum faciebat. Quamobrem si accuratißimus alioqui uir, & inter paucos industrius Theodorus Gaza in ijs quæ de talo Aristotelem ex Græco conuertens elegantißime conscripsit, quæ nos etiam retro adduximus, pro uenere senionem apposuisset, & commode profecto tali latus illud interpretatus fuisset, & uerbi illius uim & naturã Latino uocabulo significanter expreßisset. Nunc coum in uenerem transferens, & manifestißime errat, & mirum quantum illa in re se ipso minor esse uidetur. Quòd enim aliud in talis à uenere

[Margin notes: Ancinus. — Theodori Gazæ error. — Venus.]

fuerit

fuerit ſenio, ſi quis eſt qui forte ambigat, uel pauculis ijs Cæſaris Auguſti uerbis omnem penitus (ut arbitror) exuet dubitationem. Scribens enim ad Tiberiũ filium (ut Tranquillus in illius refert uita) ijs ad alteram utitur uerbis: Luſimus mi Tiberi geronticos & heri & hodie. Talis enim iactatis ut quiſq; canẽ, aut ſenionem miſerat in ſingulos talos ſingulos denarios in medium conferebat, quos tollebat uniuerſos qui Venerẽ iecerat. Ex quibus ſanè aliud fuiſſe Venerẽ, aliud Senionem manifeſtiſsime patere poteſt, cum ille quidem eo in ludo damnum & iacturam, Venus autem uictoriam & lucrũ apportaret. Nec minus præterea ex hoc etiã id ipſum dignoſcere licet. Coũ enim ſiue Senionem uel in unico tantum reperiri contingit talo, ut ex Ariſtotelis uerbis in commentarijs de cœlo retro eſt declaratum: Venerem autem niſi quatuor iactis talis prouenire non poſſe certiſsimis oſtenditur euidentijs. Cicero enim in ſuis de diuinatione cõmentarijs demonſtrare ſtudens, quòd caſus in ijs non ſit rebus, quæ omnes in ſe ueritatis habent numeros, hæc ſubijcit uerba: Quatuor tali iacti caſu Venerem efficiunt, num etiam centum Veneres, ſi quadringẽtos talos ieceris, caſu futuros putas? Quã etiã rem Lucianus Samoſatæus apud Græcos lepidiſsimus ſanè autor, in amoribus ſuis oſtendit, de quodam ſcribens iuuene, qui præpoſtero mentis iudicio Cnidiæ Veneris ſimulachrum Praxitelis opus efflictim deperibat: illius hæc ſunt uerba ad literam (ſi recte memini) de Græco expreſſa: Cumq; talos quatuor Libyſſæ damæ ſuper menſam iactaſſet, ſpem ſuam ludo & aleæ cõmittebat: & recte quidem iaciens, præcipue ſi deam ipſam proſpero effeciſſet iactu, talorum nullo æquali cadente effigie, & Deæ ſimulachrum cernuus adorabat, & potiundi aliquando deſi=

derij non mediocri erat in ſpe. Si autem(ut aſſolet) perperam talos iactaſſet,& in contrariam illi, triſtemq; ſtetiſſent faciem, uniuerſæ Cnido multa imprecatus mala, uel uti propriæ cuiuſdam calamitatis gratia triſtitia & mœrore conflictabatur. Hæc ille. Ex Luciano igitur & Cicerone (ut animaduertiſtis) clariſsime patere poteſt, uenerem non unico, ſed quaternis effici talis, & tunc eſſe (ut hoc etiam quod non omnes aduertunt, obiter adducatur) cum ſinguli quatuor tali diuerſo inter ſe ſteterint aſpectu, ita ut ſimul quatuor una miſsione iactati, omnes talorum referant uultus, hoc uidelicet modo, ut unus coum, ſiue ſenionem oſtentet: alius chium, ſiue canem: tertius pronam tali monſtret partem: quartus uero ſupinam.

Locus Martialis. Quam rem cum Valerius Martialis in Apophoretis ſuis innuiſſet potius quàm expreſsiſſet, à nullo grammaticorũ (quod ſciam) ad hanc uſq; diem expoſitus aut intellectus eſt locus. Quæ enim Domitius & Merula ea de re afferũt, meræ ſunt nugæ. Eſt autem Diſtichon huiuſmodi, cũ quo tali remittuntur eburnei,

Cum ſteterit nullus uultus tibi talus eodem,
 Munera me dices magna dediſse tibi.

Quaſi enim exiguum amico commendans munuſculum poëta, affirmat tum deniq; illud magnum ſibi uiſum iri, ſi quando in ludo talario Venerem iecerit. Fortunatum inquam & lucroſum iactum, nullo talorũ eodem ſtante uultu. Hæc ſunt Sannute & Fuſce, quæ de talorum partibus Coo & Chio, quas Latine Senionem & Canem appellari diximus, & quæ de Venere etiam, aſsidua & diligenti cum Græcorum, tum noſtrorum lectione perquiſita, pro uirili comperire potuimus. In tenui fateor re poſita fuit opera, ſed quia ſucciſiuis id effectum eſt ſtudijs, non uilis

eſt

est (ut arbitror) neq; contemnendus labor, & alioqui isthæc ipsa quantula sunt, ut cognita parum laudis afferunt, ita ignorata homini præsertim erudito, et isthæc profitenti non nihil uituperationis adducere possunt. Sub ijs dictis cum reticuissem, & Sannutus, qui diligentē auscultando præstauerat operam, nescio quid dicere uellet, Leopardus accedens, qui & cœnauerat interim, & cum Longo etiā tesserulis luserat, En, inquit, adsum amici, prætermissi à me nuper officij longam, si me audire patiemini, afferēs defensionem. Et Marcus, Hui longā, inquit, Leoparde. Atqui nox haud longa est, cuius bona etiam præterijt pars. Cæterum ne te absolutum iam putes, cras hoc in loco, & apud hos ipsos iudices (nam mecū omnes in prādio eritis) tibi dicenda erit causa. Quamobrem bene præmeditatus accedas. Et ad nos cōuersus, Vos, inquit, Leonice & Fusce (quoniam intempesta est nox) hic apud nos optime manebitis: nam Priolus & Longus, cum Canali & Leopardo cimbis suis domum uehentur: & cum dicto, uespertina de more præfata salutatione, nos in cubiculum cum Sannuto ingreßi sumus: illi ad cimbas suas descenderunt.

NICOLAVS LEONICVS THOMAEVS RENOLDO POLO S. D.



VIA in sermonibus nostris quos abhinc aliquot annos confecimus, & tibi denominauimus, dialogus est De animorũ immortalitate, qui Bembus inscribitur, ubi omnis ferè ea de re Platonis explicatur ratio: idcirco superioribus diebus dum uacuus eßẽ, mihi in mentẽ uenit, non ab re esse, si aliquid etiam de illorũ essentia pro uirili mea disquirerẽ: quòd hæc illi affinis esse uidebatur quæstio. Verũ cum rem sanè arduam, & profundißimis abstrusam tenebris, aggredi me intelligerẽ: dum de illa cogito, uiresq; insuper meas perpẽdo, rursum an eam omnino tentarẽ, aliquãdiu animi dubius fui. succurrebat enim mihi non solum diuersa & uaria hac de re ab antiquis rerum scriptoribus, sed cõtraria etiam & pugnantia memoriæ fuisse prodita: quæ neq; dijudicare facultatis meæ, neq; approbare aut reprobare professionis & modestiæ esse ducebã. Et alioquin religioni nostræ piè semper addictus, quæ sola sapere, & rectè sentire uidetur, ea constanter uera esse existimo, quæ illa à sectatoribus suis indubitãter teneri obseruariq; præscripsit. Veruntamẽ cum nuper ab amico quodã meo, cui non obsequi nefas esse ducebam, ut id oneris subirem, ad quod (ut dixi) sponte etiã mea ferebar, impensius rogatus fuissem, uici omnem difficultatẽ, & quæ iampridẽ de Bembo audiueram, & multiplici etiam uariaq; lectione ipse collegeram, in unum dialogi corpus coniecta, tibi, ut de alijs etiam feci, nũc Pole dedico. Cui enim potius hos serotinos fructus meos cõmendare debeo, q̃ tibi, cũ philosopho præstãtißime, tũ patrono de me semper optime merito? Vale.

BEMBVS,

SIVE,

DE ANIMORVM ESSENTIA.



VPERIORIBVS *diebus, Bembe, ut ex Ioanne Baduario audiui, de animorum immortalitate breuiter à te atq; dilucidè de Platonis sententia est disputatum: ubi omnia (ut dicebat) memoriter à te collecta fuere, quæ diuinus ille uir in commẽtarijs suis sparsim huiuscemodi de re memoriæ prodita reliquit: cui certè disputationi quo minus interfuerim (nam profecto interfuissem) hospitis cuiusdam mei negotium fuit in causa, cui me operã non præstare, illiberale sanè fuisset. Verum Baduario plurimam habeo gratiã, qui illius diei sermonem tuum, singulasq́; eius partes ita clarè mihi enucleateq́; recensuit, ut nihil aliud mihi nisi uox illa tua suauis, uerbaq́; cum Latinè, tum efficaciter prolata defuisse uidebantur: quorum quanta fuerit uis & gratia, existimare possunt ij quibus rectè cognitus est Bembus.* BEM. *Tu uerò Leonice facis ut semper omnia, & quia plus nimio me diligis, mea etiam tibi plus nimio omnia concinna præclaraq́; esse uidentur. Verum quæ tunc ego dixi, quia ex recenti Platonis lectione mihi insederant, & sub manum (ut aiunt) habebam, paruo certè negocio mihi præsto fuerũt: &, ueluti ex tempore disertata, neq; leporem quem existimas, neq; eloquentiam, ut digna erant, habere potuerunt. Paruam igitur iacturam fecisti, qui de me illa non audiueris, quando tibi Baduarius apte, ut dicis, omnia ordineq́;*

recensuit: quæ etiam de fonte cum uolueris abunde hauri-re poteris, præsertim cum philosophi illius lectione maximopere delecteris. LEON. Rectè narras Bembe. nanq; ego ea de re & apud Platonem ipsum & apud plerosque Academicorum multa præclarè scripta lectitaui. Verum aliud quiddam si tunc præsens fuissem, non minus scitu dignum, & ut mea fert sententia, longè difficilius, à te exquisiuissem, quod non me solum in præsentia, sed antiquos ferè omnes dubios animi habuit. BEM. Quid est tandem illud, quod ita arduum & difficile esse narras? An quippiã fortasse de animorum essentia dicere uis? LEON. Isthuc ipsum est Bembe, de quo tunc percontari te & Iustinianũ & Baduarium uoluissem: qui quoniam absunt, teq; uacuũ (ut arbitror) in præsentia & feriatum cõspicio, nihil sanè prohibet, nisi fortasse aliud quippiam huic rei præuertendum esse putas, aliquid eorum quæ hac de re uaria lectione cõpereris, in medium abs te proferri. Tempus enim commodum est, nulliq; adsunt qui nos interpellare, & ab hoc negocio auocare poßint. Nanq; ego etiam pro uirili parte meam tibi operam præstabo: duo autẽ simul (ut in prouerbio est) omnia melius. BEM. Rem profectò arduã & abstrusam Leonice cognoscere desideras, de qua nemo, quòd sciam, antiquorũ neq; recentium philosophorũ plenè pertractasse uidetur, sed ueluti qui hanc rem de industria subterfugerent, alij quidem intactam eius omnino disquisitionem reliquerunt: alij uerò ceu balbutiẽtes rude quiddam et inexplicitũ mußitauerunt. Nam de proprietatibus, ut probè tenes, animorumq; partibus & uiribus, peritè sanè & eleganter pleriq; conscripserũt. Quam ob rem quid de huiusmodi re tibi planum faciã, haudquaquã habeo. LEON. Est ut dicis Bembe, & ego isthuc ipsum

sæpen

ſæpenumero expertus ſum: uerum ſi de multis quippiam colligendo in medium conferre ſtuducrimus, ſi non plenè et exactè, aliquid tamẽ quod huic conferat quæſtioni, fortaſſe reperire poterimus, & ex unguibus (ut aiunt) Leonẽ quo dabitur modo effingere conabimur: atq; fortaſſe de ſe quærentibus nobis & diſertantibus ipſe ſeſe oſtendet animus. Tu modo i præ, ego autem ſubſequar. BEM. Sic fiet, quando tu ita fieri uis. Verum quoniam obſcura multũ & inſolens quærenda nobis & indagãda eſt res, noua etiam pleraq; & inuſitata ijs qui Latinè probè ſciunt, proferre uocabula oportebit, ut res ipſæ, quo fieri poteſt modo, clarius exquiſitiusq́; oſtẽdi atq; declarari poßint. In ijs enim præcipuè præſens ſtudiũ & opera omnis noſtra uerſabitur: quare boni conſulas oro, ſi quid eruditas fortè aures tuas offenderit. LEON. Non me offendũt Bembe ea, quæ iampridem & recepi libens & admiſi: perge modo. Verũ quid ceſſas? BEM. Quoniam mirus profecto homo mihi uideor, qui in hac quæſtione noſtra de elocutionis modo tecum paulò antè diligẽter & ſedulo me excuſaui: utrum autem de illa eloqui quippiã & dici poßit nec'ne, non animaduerti. LEON. Quorſum hæc, Bembe? aut quid hæſitatio iſthæc tua noui ad quæſtionẽ noſtram adfert? BEM. Quoniam multa ſunt Leonice quæ mente cõprehendi poſſunt & intelligi, quæ tamen uerbis explicari nequeãt: contraq́; de pleriſq; multa dicere & loqui poſſumus, quæ intelligere nequimus. LEON. Aenigmata mihi uideris Bẽbe et gryphos complicare. quid eſt enim tam abſurdum, et ab omni cogitatione alienum, quàm eſſe aliquid quod ſciri quidem poßit, explicari uero non poßit: & de quo inſuper cum multa uere dicantur, illud tamen intelligere homines nequeant? Iſtud me prius Bembe doceas uelim, &

poſtea,

postea, si placet, ad quæstionē nostrā reuertemur. BEM. Non abstrusa admodum neq; perplexa isthæc est res Leonice, si exēplis agere uolumus. Nanq;, uerbi gratia, deum esse primum ens, summe bonum, & bonorum omniū causam, omnes scimus: quid autem sit is, & quo ea produxit modo, uerbis explicare non possumus. Præterea de deo uere prædicant & dicūt omnes, quòd omni caret principio: quòd ubiq; est, & tamen quomodo ubique sit & qualiter, intelligere non possunt. De deo igitur multa intelligimus, quæ uerbis explanare & effari non possumus: contráq; de illo multa loquimur, quæ tamen intelligere & scire nequimus. Nanq; si uerum confiteri & dicere uoluerimus, neq; deus illius nomen est substantiæ: & omnino essentiæ illius nomen reperire non possumus: de quo dictum est, Et dedit illi nomen quod est super omne nomen. Cæterum quid tam admirandum est de deo, qui omnē supereminet essentiam: & cuius per rerum omnium abnegationē remotionemq;, siquando ad eum quoquo modo pertingere contendimus, in profunda nubis caligine cæcutientes cernere uidemur speciem: quando ne mentium quidem supernarū, quos nostri Angelos uocant, reperire quis potest nomina, quæ illarum essentiam repræsentare ualeant? & fortasse (ut arbitror) de anima ipsa, de qua nunc agitur, isthuc ipsum merito dici potest. non enim, ut uidetur, nomē hoc apud Græcos, licet accuratissimi rerum nomenclatores extiterint, illius ostendit essentiam: sed τῦ ψύχειν, id est, refrigerandi quandam illius repræsentat uim, sine qua stare non potest uita. Et idcirco uarijs exprimitur signaturq; modis anima. nanq; cor illam & mentem aliquando appellant: aliàs cogitationem & uoluntatem: nonnunquam ratiocinationē, non ex illius essentiæ dignitate, sed ex uiribus quibusdam

& potest

& potestatibus illam denominantes. LEON. Ita esse apparet, & ego sæpenumero de huiusmodi re animi dubius fui. Verum haudquaquam nobis idcirco cessandum esse duco, quin potius omni ope contendendũ, ut quò pertingere possumus, peruenire studeamus. In arduis enim rebus (ut dicitur) non solum effecisse, sed etiam uoluisse laudi datur. Aggredere modo. BEMB. Vt uia igitur Leonice nostra procedat oratio, ab usitata quadam claraq; rerum distributione exordiri incipiam, hoc modo: Entium omniũ duo prima sunt genera, intelligibile scilicet, & sensibile: & illud quidem primum nobilioris est ordinis & dignationis, æternum, incommutabile, incorruptibile. Alterum uero secundo ponendum loco, temporaneũ est & uariabile, corruptioniq; obnoxiũ. Ex priori autem illo ordine rationales esse animos nemo fere est qui ambigat. nam & immortales sunt & æterni, nulloq; dignosci percipi ue possunt sensu. sui igitur natura omnem supereminent corpoream molẽ, mundaniq; esse hac ratione non existimantur. Mundanum nanque omne, quicquid id fuerit, sub aliquo certe corporis sensu cadit. uisibile enim est aut tactile: aut olfactu gustu'ue, aut omnino auditu iudicatur et dignoscitur: quorum iudicia & cõprehensiones humanus longè supergreditur animus, qui intellectione solum cõprehendi percipiq; potest. Recte'ne igitur Leonice hæc tibi dici à me & proferri uidentur? an est de quo iure ambigas? LEON. Distributionem illam entium & sufficiẽter adductam, & clarè enarratam non eo inficias. omnia enim in se colligit entia, nihilq; subterfugere illius complexum uidetur: uerũ prioris illius ordinis humanos esse animos, immortales scilicet & æternos, non quiuis fortasse tibi facile cõcesserit. Sunt enim de philosophorum numero pleriq;, neq; ij uulgaris

garis ſanè notæ, qui illos & fieri & interire exiſtiment: a qui licet inter ſe uariè de illorum natura diſsideant, hac tamen in re præclare conuenire uidentur. Cum enim corporis forma ſit animus, & uera compoſiti pars, ad illius certe corruptionem deſtrui illum & interire neceſſe eſt: quamobrem non eſt, ut dixeras, ab omnibus fere cõceſſum ex priori illo entium ordine humanos eſſe animos. Quam etiam rem eiuſmodi ſectæ uiri ratione demonſtrare contendunt. Cum enim humanum, inquiunt, corpus ex materia & forma compoſitum eſſe cenſeatur, ut de materiæ natura nunc ſilentio prætereatur, quam formarum ſuſceptricem & receptaculum eſſe certum eſt, & ab omnibus conceſſum, formam ipſam ſub duplici differentia ab antiquis intellectam, & nobis declaratam fuiſſe palàm eſſe: uel illam quam ex diſsimilarium partium compoſitione reſultare uidemus, quam Græci μορφὴν, nos figuram dicere poſſumus: uel illam quæ ex ſimilarium partium proportione quadam efficitur, quam εἶδος Græci, noſtri cum formam, tum ſpeciem appellare ſolent. Vtraſque autem formas iſtas compoſito corpore diſſoluto corrumpi & interire neceſſe eſſe dicũt, ſimilaribus & diſsimilaribus partibus ad nihilum redactis, & materia ſub alia alterius rei facie remanente. Humanos igitur animos, ſiue animas (nihil enim refert utro illos appellemus modo) non ex priori illo eſſe genere, ut immortales ſint, & æterni exiſtimentur, cum diſsipentur, ut oſtenſum eſt, & intereant, merito credere oportet. Plures etiam hac de re uiri illi, nec minus efficaces adducere rationes ſolent, quas, ne in longum noſter protrahatur ſermo, præſertim cum in præſentia non contendere, ſed te audire cupiam, uolens & libens mehercule prætermitto. BEMB. Aduerſariorum

sententias Leonice, & rationes etiam breuiter collegisti. Cæterum æquum esse arbitror nihil prius hac in causa decernere, quàm aliorum etiam dicta pernoscamus. Iniquum enim est (ut opinor) in philosophorum controuersijs, non minus quàm in iudicialibus causis, parte non audita altera, de quacunque re, nedum de hac, quæ est profecto maxima, facile, ne dicam negligēter, proferre sententiam. Formam enim hanc quæ humano dat esse corpori (de hac enim in præsentia dicere uideris) alterius factionis uiri simplicem esse dicunt: quæ cum huiusmodi sit, in sese ipsa subsistens, nunquam se deserit, suumq; esse in seipsa continet. æterna igitur est, nulloq; corruptionis modo interire potest. Præterea ad idipsum hoc etiam instari potest modo: si forma simplex perdenda sit, cum suapte natura huiusmodi sit, in nihilū profecto redigetur. in aliud enim, cum sit simplex, transire non potest: quæ etiā si generanda sit, ex nihilo sanè generabitur. ex nullo enim præexistente fiet: hæc autem per se physicorū non admittit ratio. Est igitur anima incorruptibilis & sempiterna. si enim de quopiā, præsertim cum non fuerit, sit effingenda, cum de nullo materiali principio simplex existens forma effici posit, illius certe autor cogetur deus de propria illam procreare essentia: quamobrem commutabilem esse illum necesse erit dicere, siquando faciat quod non fecerit prius: quod cum absurdissimum sit, & à nemine unquam concessum (primum enim ens simplex & incommutabile omnes philosophorum clamant scholæ) humanos esse sempiternos animos, & ab omni æternitate præexistentes summa est necessitas. Hæc illi cum alijs plerisq; quæ superioribus diebus disputando collegimus, in medium afferre solent, quæ in præsentia consulto prætereo. De animæ enim

enim essentia, non de illius immortalitate quærere propositum est, licet hæc se inuicem consequantur, & unum cum altero inseparabiliter sit copulatum: sed alia nobis disquisitionis nunc habenda ratio est. LEONIC. *Vera narras Bembe, neque quisquam (ut arbitror) sanæ mentis isthuc inficiari poterit: uerum cum utrinque sanè cogentes prope & efficaces adducuntur rationes, nihil opinor prohibet utrorumq; sententias ueras esse, si recto intelligantur & dirigantur modo.* BEM. *Quanam isthuc fieri potest ratione, ut de eadem re contraria uere dicantur, de anima scilicet mortale & immortale, corruptibile & incorruptibile?* LEON. *Hac certe fieri potest ratione, si alio & alio modo formæ naturam, id est, humanos animos sumere uelimus. Nam si ad formam respiciamus illam, quam ex similarium partium complexione, qualitatumq; primarum commixtione & proportione resultantem, ipsi materiæ inhærere existimamus, ex quibus copulatis & in unum concurrentibus, tertium fieri compositum dicimus, generari profecto & interire eam dicemus naturæ essentiam. dissoluto enim cõposito (quod manifeste percipitur) illius certe complexionem ex primarum qualitatum proportione resultantem dissolui & interire necesse est: imò quia hæc prius dissoluitur complexio, compositum dissoluitur & interit corpus. Ex quo manifesto cuiuis patere potest, hanc hominis formam cum generari, tum ad extremum interitum deuenire. Secus autem est de alterius modi forma illa, quam extrinsecus accedere complures Philosophorum, & fortassè grauiores, uoluerunt. Hæc enim cum uitam corpori, tanquam ab ea fluentem actum præbeat, nunquam sine uita est, nunquam illius essentiam proprius & peculiaris deserit*

deserit actus. Veræ igitur utræque, si ad diuersa referantur, proculdubio sunt sententiæ, quæ claros etiam assertores habent suos. BEMBVS. Est quidem ut dicis Leonice, & de hac re nulla mihi tecum est cõtrouersia: uerum, si placet, materialẽ illam formam in præsentia missam faciamus, quam generari et interire nulla unquã apud exactiores philosophos fuit ambiguitas. de forma autem illa, id est, humana anima perscrutemur, quæ sensum hominum generi cogitationemq; & ratiocinationem præstare cẽsetur, quænam sit, & quam habere dicatur essentiã. LEONICVS. Isthuc ipsum nunc faciamus, itaq; sequere: ego enim te posthac Bembe nõ interpellabo. BEMBVS. Arduam & inuolutam (ut à principio dixi) aggredimur rẽ, & à nemine, quod sciã, satis clarè discussam et explicatã. de qua cum nõ parum sæpe & diligenter ab antiquis rerum scriptoribus exquisiuissem, mecumq; ipse tota mentis intentione id efficere cõtendissem, tantum profecto abfuit ut ea de re mihi unquam satisfecerim, ut magis semper inuolutus, & animi dubius à perscrutando destiterim. Verũ quoniã tu me id facere uis, et ego tibi non obtẽperare nefas maximum esse duco: et præterea quoniam (ut inquit ille) est aliquid prodire tenus, si non datur ultra, dicam quæ audiui, et à plerisque hac de re memoriæ prodita legi: tu boni consules si ambigendo disseram, & in omnibus ferè assensum sustinuero meum. Turpius enim esse arbitror arroganter quippiã quod tibi planũ non sit profiteri, quàm ingenue te nescire quod nescias confiteri. Quatuor, ut in uniuersum dicatur, de animæ natura philosophorum fuere sententiæ, eorum uidelicet qui animarum multitudinem partialem'que numerum esse uoluerunt. Nanque illorum qui unicam esse omnibus assistricem mundi animam,

mam, ut plerique ex Peripateticis, neque ij ſane ignobiles, affirmarunt, alia profecto eſt ratio, de qua niſi temporis diſcludemur anguſtijs, nam multa ſunt recenſenda, fortaſſe aliquid in medium adducemus. Prima igitur illorum eſt opinio (ut primã illam nunc recenſendo faciamus) qui animas generari per propagationem quandã & à generantibus traductionem uoluerunt. cum patris enim ſemine animalem prodire facultatem aſſerunt, quod in muliebribus locis receptum, & fœminæ mẽſtruis applicatum, calore naturali medio ueluti inſtrumento generandæ prolis animam efficit. calor enim naturalis in ſemine, qui aſtrorũ calori quodammodo proportionatus eſſe cenſetur, animæ inſtrumentum quæ in ſemine actu eſt, ſicut in grammatico (uerbi cauſa) non operante eſt grammatica, dum tangit mulieris menſtrua, ſicut iam operans per artem grammaticus, in ipſo fœtu innata uirtutis propriæ facultate quaſi transfuſam ex anima generat animam. quo certe in ſemine omnes animales eſſe uolũt poteſtates: quæ in actum poſtmodum exeuntes, omnibus numeris completum animal efficiunt. Et hæc quidem Ariſtotelis ueterumq; Peripateticorum ſentẽtia eſſe perhibetur, de materialis uidelicet animæ origine, quæ generatur & interit, & quam inſeparabilem corporis eſſe formam aſſerunt. nanq; de ea quæ extrinſecus accedere dicitur, cuius (ut aiunt) intellectus eſt caput, longe aliam uolunt eſſe rationem. de qua, ſi forte dabitur, aliàs diſſerendi accommodatior erit locus. Altera opinio, creatori omnium deo animarum munus acceptum refert, qui organizato, ut ita dicam, in mulieris utero fœtu, ſtatis temporum interuallis, nouas illico introducit animas, omni eſſentiæ illius poteſtate inſignitas, quæ illis merito conuenire poſſunt: quæ poſtmodũ à corporum

carcere exeuntes, ad propria constitutaq; secundum illarum merita uel demerita feruntur loca, ibi sempiternò cum immutatis corporibus permansuræ: quod ex fide omnes Christiani certum & indubitatum tenere debemus. Tertia præterea alia est opinio animas à mundi initio iã creatas, à deo quibusdam de causis illi soli cognitis, in corpora demitti, cum quibus uarijs posthac exercitæ uitarum conditionibus, in seculorum (ut aiunt) fine exæquatis omnibus, in pristinum, ut ab initio fuerunt, restituentur habitum. Quarta est Academicorũ sententia, hoc se habẽs modo, animas humanas cum mundi huius sint accolæ, coniuncta sibi & coæterna quædam habere corpora necesse esse, quæ illarum appellant uehicula: cum ijs autem, uoluẽtibus statis annorum periodis, cũ descendere huc illas, tum ascendere, in sublimeq; ferri asseuerant. cum enim non idem solum in sui natura habeant, sed etiã diuersum: eius rei gratia mutabilitatem, & uariabilem habere naturã non immerito cẽsentur. Volũtate igitur sua & arbitrio, quod proculdubio in sese habent, si imaginatione magis quàm intellectu uti uoluerint, & à communi immutabiliq; bono auersæ, ad proprium peculiareq; bonum se conuerterint, seq; solũmodo curare uoluerint, ad inferna illico delabuntur, ultimisq; corporum ergastulis se immergunt. quibus emancipatæ, pro stabili atque beata miseram & infelicem uitam degunt, quæ cum superioribus cõparata uitis, mors est potius dicenda quàm uita. sin autem contrà intellectu potius quàm imaginatione agere studuerint, & communi magis inhærere bono, quàm partiali et proprio, tũ profecto magna ab illo impetrãtes bona, uirtutes scilicet ipsas, ad superna illico euadunt loca, & in communi rerum gubernatione prouidentiaq; uersantes, cœlestẽ & uere bea-

tam ducunt uitam. Voluntate igitur & imaginatione humanas animas cum descendere, tum uicißim ascendere autumant: quam rem huiusmodi claro docere exemplo conantur: Leue enim, inquiunt, corpus sursum existens, si forte grauitatis formam capiat, statim suapte ui deorsum ferri: contrà graue si leuitatis induat formam, illico superna petere: quod ad animorum mutabilitatem translatum, manifestam huius rei habere ostensionem suo iure asseuerāt. Harum autem uicißitudinum causas fatalibus legibus adrastiæq́; necesßitati ascribi oportere dicunt. ad quod discutiendum & pertractandum, quia plus temporis insumendum esset quàm quod ad præsentem sumpsimus operā, idcirco ea de re nūc consulto disputare prætereo. Hæc autē opinio, Leonice, licet aliæ fortasse sint ueriores: nā de Christiana minime est dubitandum, quæ sola uera et certißima est, tamē physicorum decretis summopere quadrare uidetur. neque enim ex nihilo fieri uult animas, quod philosophia abhorret: neq; animarum populum infinitum facit. actu enim huiusmodi nihil reperiri posse omnes philosophi cōsentiunt. Præterea ut exire poßit à corpore anima, & ad illud accedere, similiq́; modo ascendere & descendere, & omnino mundi accola esse, coæternum et inseparabile illi ætheriū ascribunt corpus. quod enim penitus corporea caret mole, aut non refertur ad corpus, id certe neque mundanum est, neq; loco moueri potest. Quoniam de animorum natura quatuor antiquorum philosophorū sententias recensuimus, & de illis pro captu nostro clare satis (ut arbitror) uerba fecimus, licet de re difficilima quid satis unquam & quid clare à quopiam dici poßit nesciā, nōnulla etiam addere decreui quæ ad huius negocij disquisitionem nonnihil facere uidentur. Fortasse enim plura inue

stigan

ſtigando,& omnem(ut aiunt)lapidẽ mouendo,quippiam odorari poterimus, quòd ſi non totum,aliquod ſaltem nobis quæſitæ rei ueſtigium oſtendere & repræſentare poterit. Nam Stoicorum adhuc reſtat natio,qui de animorum eſſentia ſuo more locuti, et pleraq; innouantes uocabula, hæc memoriæ prodidere. Spiritum enim quẽdam cum animam,tum naturam ipſam eſſe uoluerunt,uerũ naturæ humidiorem & frigidum magis illum eſſe:animæ autem cum calidiorem,tum etiam ſicciorem, qui animæ materia eſſe perhibetur,cum in eo formæ obtineat locum, tẽperatio ſcilicet quædam quæ ex aëriæ ignitæq; eſſentiæ proportione confici conſtareq; uidetur. Non enim aërem ſolummodo eſſe animam,neq; ſolitarium ignem aſſerunt, cum nullum nedum ſummè frigidum aut ſumme calidum reperiri poßit animal, ſed etiam ſi qualitatum harum alterutra in illo eminenter excellat, diutius in uita manere non poteſt, quando ſi paululum priſtinæ proportionis temperatio illa perdiderit,male ſe habere animal neceſſe eſt,& aut ardentibus exuri febribus,ſi ignea illa caliditas aëris frigiditatẽ ſuperabit:aut contrà morbis diſtineri frigidis,& cum ſtupidis,tum etiã nullis ſenſibus interire, ſi frigiditas caliditatem excellet. aërem enim ſuapte natura frigidum & humidum igneæ commixtum naturæ,ſi proportione id fiat,ad optimam certe temperamenti formam peruenire. Hæc illi, ex quibus manifeſtò cuiuis palàm eſſe poteſt, de Stoicorũ ſententia animæ eſſentiam temperamentum ſiue complexionem (ut dicunt medici) eſſe illam quæ ex quatuor primarum qualitatum ad ſe inuicem permixtarum proportione in animalium corporibus generatur. Cuius certe opinionis & Galenus uir magni inter medicos nominis, & omnis ferè medicorum antiquorum ſchola Hippocra-

te Coo duce fuisse uidetur, qui mortalem esse animam, & à corporibus inseparabilē, ut mox illorum rationibus ostendetur, constanter assirmauerunt. Dicunt enim, ne longum faciam, in animalium corporibus duo esse spiritus genera, & alterum quidem animalē uocari, qui in cerebri uētriculis generatur, & in illis sedem suam habet: Alterū uitalem appellari, qui à cordis uentriculis initium habet, atq; inde ceu à perennis quodā fontis principio per arterias in uniuersum animalis corpus deriuatur & labitur. Et uitalem quidem hūc spiritum pro peculiari propriaq; materia inspiratum habere aërem, necnon habitus illos qui ex succis & humoribus in animaliū corporibus euaporant: ex quo postmodum in cerebri uentriculis perfectius excocto animalem effici & generari spiritum asseuerāt: qui certe spiritus de Galeni sententia neq; animæ ipsius est sedes, multoq; minus illius eßentia, sed animæ instrumentum est primū ad opera peragēda, quæ per ipsam in corporibus fieri uidentur. Nec me præterit naturalem etiam quendā spiritum à medicis appellari, qui in iocinoris membro generatur, ibiq; collocatus ad nutricationis munia peragēda, quæ per altricē animæ fiunt uim, & per uenas postmodū in uniuersum animalis trāscurrens corpus, illud ex omnibus partibus alit & conseruat. Verum animæ instrumenta sunt hæc, ab illius essentia multum quātum seiugata: quēadmodum (ut exemplo declaretur) serrā & dolabrā a fabri lignarij arte, cuius sunt instrumenta, semota separataq; conspicimus esse: animam autem ipsam (ut superius diximus) & Galenus, & omnium ferè medicorum chorus, esse uoluerunt commixtionem siue temperamentum illud quod ex quatuor primis qualitatibus quadam proportione iunctis & copulatis in animalium corporibus resultat, quæ il

lorum

lorum certe inseparabilis est forma, & cum illis simul generatur & interit. Quod etiã de Aristotelis sentẽtia osten dere conatur Galenus. Si enim, inquit, similares in animalis corpore partes, quæ & principales sunt, & quarũ primo sine cõtrouersia sunt operationes, ex materia cõstant & forma, illi autem placuit quatuor primis qualitatibus materiæ applicatis corpoream resultare & fieri complexionem: illi etiam necesse est concedere eam esse formam, si quidẽ materiæ aduenit, illamq; determinat & componit. quamobrem, inquit, concedere etiam illi necessariũ est animam talem esse complexionem, cuius essentiam cum potestates omnes, tũ actiones & opera postea cõsequi animaduertantur, quæ cuiusque rei essentiam proculdubio nata sunt sequi. Mortale igitur de Aristotelis sententia hoc animæ est genus, quod, ut ostensum est, & generatur & interit. Nã si immortale uoluerit esse, ut Plato asserit, quidnam, inquit, est causæ cur infrigidato summe animalis corpore, aut uenenis quibusdam id facere ualentibus, aut immodica sanguinis profusione, quod in uulneribus accidit, atq; idẽ potest: aut rursum enecto & exiccato, uel superfluentibus humoribus oppresso, breui interire cernitur animal? Certũ enim est, inquit, id non alio cõtingere modo, nisi quòd huiusmodi essentia animæ, illa est cõplexio, et certa tẽperamenti proportione cõstans mixtio: qua dißoluta, illius sanè dissoluitur & interit essentia. Verum hac de re (ut mihi quidem uidetur) Galenus & Aristoteles bene cõuenire poterũt, si de materiali intelligatur forma, quæ materiæ præstat esse, & ex qua cum materia cõpositum constat corpus. Hoc enim & Plato et Aristoteles & omnes ferè qui recte philosophati sunt, sensisse existimãtur. Cæterũ prosequitur Galenus (ut hoc etiã obiter dicatur) se de

forma corporis separabili, qualẽ uoluit esse Plato, *nullam certam & indubitatam habere ostensionem ex quonam sit entium genere incorporeorum, quoniam illius essentiam, qualisnam sit, ignotam penitus habeat, cũ tamen sæpe multumq́; de illa cogitaßet, & diligenter exquisiuisset.* Complexiones *enim se in corporibus animaduertisse diuersas, multumq́; inter se differentes, uariasq́; ex illis procedẽtes actiones, quod per multijugos plerisq́; in locis prolixe ostendit effectus.* Incorporeæ *autem essentiæ per se & in se existentis, quæ nec sit qualitas, neque inhærens forma, ullam alterius ab altera differentiam, & distinctionis modũ, quales in complexionibus animaduertuntur, nusquam se perspicere & intelligere potuisse: & alioquin, inquit, si talis existeret forma ut uoluit* Plato, *peculiarem quandam et æternã habens naturam, illam obsequi corpori, imò, quod absurdius est, illi turpiter famulari, summa esset neceßitas, propter puerorum omnimodam rerum omnium ignorationem, et senum repuerascentium deliria: morborũ quin etiam certorum obliuiones, amentiasq́;, & furores: quæ omnia, inquit,* Platonem *palàm conceßisse, ex illius commentarijs animaduertitur.* Hæc à Galeno *non continenter sanè, sed sparsim pluribus in locis fuere conscripta.* Verum *non addidit ijs* Galenus, *quod profecto adiungere debuerat, quòd corporis instrumentis uitio aliquo labefactatis, et corruptis, uirtus quæ illis necessario uti debet, haudquaquam commode illis uti potest: sicut citharœdus male temperata cithara, dissonantibusq́; chordis, artificiose canere non potest.* Præterea *de duabus animæ partibus dicendum certe erat, rationali uidelicet, et irrationali, meliori et deteriori, imperanti & parenti, de quibus in commentarijs suis à* Platone *non minus abunde quàm apposite & eleganter*

ganter conſcriptum eſt, & quod recte utiq; degit homo, quando in eo rationalis animæ pars imperat & regit, irrationalis autem obſequitur & paret: contrà autem cum illo male agitur, ſi deterior animæ pars meliorem arbitrio ſuo trahit, illamq́; ſibi obſequi & obnoxiã eſſe cogit. idcirco haudquaquam ſufficienter & uere ſatis ab illo dictum eſſe contẽderim, animas ſemper corporibus obſequi, & illis famulari, ſed tantummodo partem ratione carentem, cum illi, ut par eſt, obtẽperare noluerit. Verum quoniam hoc à propoſito quæſtionis ordine nos auocare uidetur, & in aliam ſermonis deducere ſemitam, id in præſentia miſſum faciamus, & ad ea quæ hac de re nobis dicẽda reſtant, reuertamur. Animam Academici & Peripatetici etiam omnes, ſi ſibi conſtare uolunt, & illam mundi accolam confiteri, & cum deſcendere ſtatis annorum periodis (ut dictum eſt) tum aſcendere exiſtimant, corpus habere ſemper ſibi annexum neceſſario concedere habent: ſplendidum quidem illud (ut aiunt) & æthercũ, totumq́; perlucidum, cum quo æternam ubique degit uitam, illoq́; intercedente & medio fatali quadam lege & arbitrio commota ſuo, ad inferna deſcendit corpora, illaq́; componit & tẽperat, omnibusq́; exornat modis, quos illorum perpeti natura & admittere poteſt: quibus poſtmodũ aliqua de cauſa relictis, ueluti ad patriam poſtliminio rediens ſuam, ſi quidem uirtutibus & diſciplinis expurgata et exculta fuerit, intellectuali fruitur perfectione, quo quominus antea uti poſſet, craſſa inferiorum corporum caligine præpediebatur. ſiquidem cum æthereo ſibi ſemper annexo corpore ad uniuerſalem mundi cum cœleſtibus animis prouidentiã admittitur, quando ueriſsima illa cenſetur eſſe ſententia, Sapiens dominabitur aſtris. uere enim ſapiens anima illa

in æthereo degens corpore, nullis ſtellarum influxibus regitur, ſed ſui iuris eſt, & ſupra fatum (ut aiũt) donec ſurſum eſt, neque ad inferiora curanda ſuapte natura uergit & delabitur. Addunt quinetiam uiri illi quibus hac de re ulterius contemplari curæ fuit, animas in æthereo corpore uitam beatam agentes, nihil conſulere aut imperare, neque etiam diſcurrere: cognoſcere autẽ mutuo inter ſe ſua per reciprocam quandam conſcientiæ notionem, quando etiam multa hic tacentes intuitu ſolo & nutu percipimus. Ibi enim uniuerſum corpus purum et illuſtre eſſe, totumq; uelut oculus, nihilq; ibi eße occultum, fictum nihil & uarium. Cæterum in aërio degentes corpore cum dæmones, tum animas non abſurdum, inquiunt, uocibus etiam poſſe uti. animalia nanque eße, & in uocali ſonoroq; uerſari elemento. Hæc illi memoriæ prodidere. De aſcenſu autem animarum & deſcenſu, & unde & quamobrem & quãdo id illis contingat, ſatis antea dictum eſt. Peripateticorum autem nonnulli, ut hoc etiam indiſcuſſum non relinquatur, magnæ autoritatis uiri, id quod Ariſtoteles menti aſcribit, de anima etiam aßerũt, unicam ſcilicet illam in omnibus eſſe, et deforis accedere, imò omnibus ſemper adeſſe cõmunem, incorpoream, omni penitus carentẽ materia. ſecabilem enim materiæ naturam in cauſa ſane eſſe cur partialia et plura fiant entia. Hanc autem animam quam mundi eße aſſerunt, undiq; diffuſam, omnibus aßiſtentem, & tanquam uniuerſi partes omnia moderantem, uita, id eſt actu ſuo, mediante, eouſq; cuncta conſeruare et regere, quoad diſpoſita aptaq; fuerint illa talem actum uirtutemq; illius admittere, et in ſeſe conſeruare: quòd ſi quo caſu id efficere nequeant, mortaliq; neceßitate inhabilia fiant, uitio ſuo, non illius, interire illa, & potius animã deſerere quàm

ab illa

ab illa deserantur. Varietates autem per entium genera distributas, et operationum cum excellentias & perfectiones, tum defectus, et ijs contrarias affectiones; in ijs præcipue quæ generationi et corruptioni sunt obnoxia, ex corporum complexionibus cõpositionibusq; contingere, quæ profecto illorum sunt inseparabiles formæ, constanter affirmauerunt. Hæc illi. Ex quibus omniũ quæ hic fiũt operum principia et causas reddere conãtur. quod et belle sane et probabiliter faciunt. Cæterum ex ijs quorum de anima sententias huc usq; recensuimus, nulli profecto, nullis (ut uidimus) conuenire animaduertuntur. adeo difficilis (ut dictũ est) & inuoluta hæc in philosophia semper fuit quæstio: quamobrem si quod à me expostulas, tibi plene persoluere nequeo, boni te consulere æquum est. non enim mihi studium et uolũtas, quæ promptißima certe sunt, sed facultas & uires deficiunt, & alioquin clarißimi uiri, & magni in philosophia nominis, alij quidem se animæ eßentiam omnino ignorare ingenue profeßi sunt: nonnulli autem, ut uidetur, tectiores & uafri, ita de illa perplexe & obscure locuti sunt, ut posteritati quòd eam ignorauerint, non immerito suspitionem facere uideantur. et profecto nihil philosophiæ conuenientius, nihil ab illa requisitum magis, quam quæ sciri dignosciq; possunt, ea constanter affirmare et ostendere: quæ autem dubia sunt, et in rerũ naturæ tenebris et obscuritate recõdita, ita ut sunt, hæsitando ambigẽdoq; proferre, cādidißimæq; ueritati semper addictũ esse. Quamobrẽ Galenus Andronicũ quendam sui tẽporis Peripateticũ haud ignobilẽ non immerito laudat, licet in quibusdā ab illo dissideat, cũ propter apertam scriptorum illius styli claritatem, tum ob ingenuam animi synceritatem & libertatem, qua non perplexe neque inuolute,

lute, sed perspicue & dilucide quæcunq; sentiebat profitebatur. Verum ad propositum reuertamur, & quæ dicēda restant breuiter constringamus, nihil (ut dictū est) pro certo asseuerantes, nisi quod catholica tenet fides, & uerißima Christianorum admittunt probant'que dogmata. Quoniam autem hac de re multijugas philosophorū retulimus sententias, unicuiq; si non quod palàm asserūt, quod tamen sectis consequenter suis dicere habent, conueniens de animæ essentia iudicium ascribamus. À nostris igitur initium facientes, dei inuocato nomine, à quo omnia procedunt bona, dicimus pium esse credere, imò pro certo tenere, rationales animas à Deo optimo maximo ex nihilo creatas, corporibus in matris utero formatis infundi, incorruptibiles quidem illas, & licet aliquādo inceperint, perpetuò tamen permansuras ad extremū usq; uniuersalis iudicij diem, quando inuariabili & diuina lege corporibus rursum coniunctæ pristinis, pro ijs quæ in priori uita sunt promeritæ, uel celestem cum illis & beatam perpetuò degent uitam, uel in Erebi loca demersæ, æternis pœnarū affligentur supplicijs. Eßentiam igitur immaterialem et incorpoream non immerito per sese habere existimantur, diuersis tamen perturbationum áffectibus à corporum contubernio cōtractis uariabilem. Qui autē animas per propagationem fieri, & cū parentum semine in muliebribus locis illarum infundi fieriq; eßentias asserunt, quæ una ex quatuor philosophantiū opinionibus antea fuit cōmemorata, cuius certe sentētiæ inter Latinos Tertullianū et Lactantium quidā fuisse dixerunt: animas profecto ij, cum generationi, tum corruptioni obnoxias ex primis qualitatibus cōmixtas cōstare uolentes, materiales illas esse formas & inhærentes, à materiaq; inseparabiles, necessario concedere

cedere habent. Quicunque uero factas olim fuisse animas existimãt, cum ex nihilo omnia creauit Deus, à quo in corpora dispensantur iudicio quodam illi soli cognito, quod Origeni & Græcorum plerisq; alijs ascribitur, ij profecto immortalis illas esse substantiæ & sempiternas uolunt: quas etiam in seculorum (ut aiunt) fine exæquatis omnibus, in pristinum naturæ habitũ, ut ab initio fuerunt, restitui asseueranter affirmant: quod de reprobis etiam mentibus & Deo rebellibus uolunt intelligi. De rationaliũ autem animorum eßentijs ex Academicorum sententia satis (ut arbitror) antea pro captu nostro dißeruimus, deq́; illis semper annexo corpore, ut mundi accolæ esse poßint: necnon de illarum descensu ascensuq́; statis quibusdã annorum periodis, & quamobrem illis hoc accidere dicatur, est recensitum. Ex quibus profecto palàm eße potest, animarum essentiam esse immortalem & perpetuam, corporibus utentem claris et illustribus illi semper annexis, qualia alio quodam rationis modo in astris esse uisuntur. Ex quibus cuiuis satis clarum esse potest, omnes istas philosophantiũ sententias ad duas generaliter deduci constituiq́; posse. Aut enim separabiles faciunt animas & æternas, uel inhærentes, uel aßistentes: aut illas generabiles faciunt et corruptibiles, quæ à corporũ natura minime separari possunt. Solitaria autem illa est opinio, quæ unicã mundi animam mundana omnia tanquam illius partes & mẽbra uiuificare & animare asseuerat, ut quæque scilicet illam res decenter & aptè recipere potest. Et hæc de animæ essentia pro ingenij mei mediocritate in præsentia dicere habui, nihil asseuerando (ut dixi) nisi quod ueritati Christianæ conuenit. De reliquis scire quod in uero sit, soli permittatur deo, uel si cui ille reuelare dignabitur: cui laus, honor

nor et gloria in seculorum secula. LEON. Præclare profecto Bembe & memoriter omnia ferè quæ de animæ essentia ab antiquis dicta sunt, collegisti: & modeste mehercule, quod uiro philosopho præcipue cõuenit, iudicium interposuisti tuum, & difficilimæ rei ad aliquam partem assensum non minus reseruate quàm prudenter sustinuisti: quare et tibi pro suscepto labore ingentes habeo gratias, & ego posthac amplius nec tibi nec mihi simuli de re negotiũ facessam, neq; certe molestus ero ut ea anxie disquiram ad quæ nullo contemplationis modo peruenire possemus. Verum quoniã multa sunt quæ ad animæ operationes actusq; pertinent, quos profecto ab essentia emanare & fieri omnes proculdubio philosophi asseuerant, & ita rei est ueritas, fortasse non esset malũ à posteriori (ut aiũt) & consequenti, quod sæpenumero physici facere solent, hac de re ab illis aliquid indagari. Hoc nanq; etiam modo opinor (nisi si quid tibi aliud uidetur) rei huius periculũ facere, nihil sanè prohibet. BEM. Vera narras Leonice. nam multa ab operibus comprehendi dignosciq; recte possunt. Verũ quo minus in præsentia id commode facere possimus, iam ingruens nox in causa est, cui dare locum oportet: cras autem, aut perendie, quando tibi hoc placere uideo, hoc in loco conueniemus, & studiose seduloq; quod fieri potuerit, exequemur. LEON. Ita faciemus.

FINIS.




BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SEVILLA



colorchecker CLASSIC



























calibrite

mm